III Ex B. 15
Bibliotheca Capituli
Ritus graeco-catholici
Premisliensis.

I

34. K.

M. D. ouo Deus. xcIV

Illustri et magnifico Dom
Domino Paullo Sixt Th
Jon; Lib. Barom &c. S. Cæs.
Mtis Consiliario intimo, et
Supremo Marscallo, Domino
suo gratioso Autor L. M. D. D.

P. XVI, 390-391 adl.

EPIGRAMMATVM

SALOMONIS

FRENCELII A ERI-

DENTHAL, POETAE L.

CAESARII

SYLVVLA PRIMA.

In quá

Semitæ quatuor.

I. SACRA.
II. COMMVNIS.
III. AMATORIA.
IV. FVNEREA.

Horum quædam antehac perperam ſparſimq; divulgata, hîc caſtigatiùs, pleraq; verò nova

CLARISS. VIRORVM
HORTATV PRODEVNT.

VVITEBERGÆ,
Typis M. Georgij Mullerj.
Anno cIↃ. IↃ. xcIII.

LECTORI INIQVO.

Nec grave judicium, nec acutos,
Zoile, morsus
Vel formido nimis, vel nimis
extenuo.
Nil inimicitiæ tecum est mihi, nilq;
negoci:
Parva soles nunquam carpere, magna soles.

P. XVI. 390

REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO HENRICO IVLIO, postulato Episcopo Halberstadiensi, Duci Brunsuicensi & Luneburgensi, &c. Domino suo clementissimo.

σωὶ Θεῷ.

OMPLVRA, ILLVSTRISsime Princeps, hac tempestate scriptum aliquòd publici juris facturo consideranda veniunt. Hinc mihi quidem nihil esset difficilius, quàm in theatrum tot doctissimorum Virorum, quibus hoc seculum ad miraculum fertile est, prodire; nisi instituti mei causas haberem ponderosas; & æqua mitiaque de bonis & verè doctis viris judicia mihi policerer : Criticorum verò censuram, quorum Imperitia & persuasio summa est Eruditio, minùs quàm vesparum susurros faciendam existimarem. Semper enim spes metui anteponenda, & doctorum intelligentia jejunis & spissis τῶν ἀνοήτων καὶ ἀπαιδεύτων, qui docti videri malunt, quam esse, interpretamentis præferenda est. Quippe illi, non nisi laude digna approbant, & Scapham Scapham dicunt; his, instar Scara-

beorum ungventa fugientium & fœtores consectantium, impura pro puris placent. de illis igitur benè spero: hos metuere nunquam incipiam. Non hoc præter rem scribo, quid enim mihi acciderit, suo tempore apparebit. Nunc declinatis ambagibus rationes instituti huius mei reddere, omnibus hasce pagellas impolitas lecturis, Tibi verò inprimis, Princeps potentissime, constitutum habeo. Saltem mihi da te facilem, Te inquam, ô augustum caput, in quo humanitas viro Principe digna, Regiam suam & sedem Triumphalem collocavit.

Divulgatæ sunt typis Pragæ in urbe Regia, anno ante hunc quarto, Epigrammatum meorum libelli quatuor: Exemplaria excusa non multa: mendæ non paucæ: irrepserunt tum quædam, quæ postea minùs mihi ipsi placerent. Nihilominus tamen brevi tempore exemplaria distracta sunt omnia, adeò ut paulò pòst frustra ab Amicis præsertim longiùs disitis, plura obnixè expeterẽtur. Cùm igitur plures Lectores, quàm libellos supereſſe cum pudore animadverterem; Sphalmata crebrò oculos meos percuterent, & multa vel non edita vel castigatiora optarem; novi etiam subinde & in horas fœtus ingenio per jocum ludumque excíderent, & amici orare, urgere, instare non desinerent; Opellam hanc nolens

volens

volens ſuſcepi, non quidem eo tempore, quo deliciarer in amœno aliquo horto; ſed quando cum ſqualido & diuturno morbo, Febri nimirum, quam Medici καταχθησικῶς ἐφήμεϱον nominant, conflictarer.

Hortabantur me docti & magni viri, vix non quotidiè, ut quæ antehac ſparſim ab annis aliquot in lucem emiſeram, ea, vel tandem certis opuſculis collecta, pluribus bonis communia facerem, nec vel poſteritati inviderem. Quid dicerem? Non equidem invideo; miror magis, unde hæc rerum vilium cupiditas? Poſſem ſanè librum juſtæ magnitudinis conficere, ſi Epiſtolas hujus Argumenti omnes hîc inſerere vellem, eorum exemplo, qui operibus ſuis præſertim Poëticis, quorumvis Verſiculos, & Epiſtolas ſine delectu, hodie præfigunt, ſuasque laudes ipſimet hujuſmodi farragine exprimunt. Parùm cordatè, & liberaliter! Quid enim? an Epulæ fumo non anteponendæ? Non defuerũt, qui ſcriberent, ſe Filiis ſuis Epigrammata mea memoriæ mandanda, & ad menſam recitanda dediſſe: recitare etiam & canere in itineribus; ideoq; unicè rogare, ut plura hujus generis ſuccinctè & perſpicuè ſcripta ſibi impertirem: benè me meriturum de omnibus. Hæc ſumma omnium Epiſtolarum.

Quando igitur ἅπαν τὸ χϱησὸν πλὴν ἴσως ἔχει φύσιν, non poſſum nõ obtemperare monentibus.

Quod igitur DEVS, à quo accepi, quicquid habeo, benè vertat, hanc primam Epigrammatum sylvulam in Amicorum gratiam aperio, aperturus etiam secundam, successu temporis, & fortasse tertiam, si benè operam collocatam videro. Ut enim quædam ex prioribus quatuor libellis Pragæ excusis, recognita & limata his novis inserui, quædam omisi; ita non pauca ad sequentia opuscula distuli. δεύτεραι γαὰρ φροντίδες σοφώτεραι. Et Statuam facturus, prius rude quoddam simulacrum fingit è trunco, postea dolat ac polit: Non alia est Orationis & Libri edendi ratio.

Ordinem verò secutus sum priorem. De rebus sacris primùm ago, ut aliis succrescentibus Poëtis exemplum præformem, non quidem tàm simplices Versiculos sed meliores faciendi, præsertim de rebus bonis. Omne enim ingenium ad DEI gloriam & pietatis studia cumprimis intendendum est.

DEVM immortalem, quàm multi hodie, qui Poëticum nomen nundinantur, divinam hanc facultatem, ad res futiles transferunt, & nugis siculis vaniora commenta lectori obtrudunt, Musasque elegantes turpiter prostituunt,

unt, ut nunc nomen Poëtæ, plerisque viris principibus, præsertim minùs literatis, adeoque omni hominum feci longè pejus sordeat, quàm unquam sorduit barbarâ FRANCISCI Petrarchæ ætate, qui tamen fateri non erubuit, Poëticum nomen tum temporis ita invisum fuisse, ut qui artem illam sequeretur, Magus, Sortilegus & Hæreticus diceretur. Quid nunc dices, mi doctissime Monache, si in vitam redeas, & tabernam librariam aut Theatrum ingrediaris? sed quò dilabor?

Mihi hoc semper propositum est, & erit, vesci frugibus pro glandibus, & ad res bonas sanctâ & castâ Musarum operâ uti. Inde in reliquis tribus Libellis de Virtutibus ago, & earum Cultores tanquam in Catalogo, expressis nominibus, condignis laudibus prosequor. Equidem nemini adulor, Virtuti sua tribuo, & alios ad eam sectandam incito. Neminem perstingo: sed vitiis maculas suas inuro, & alios ab his abstrahere quàm possum, maximè conor, etiam jocos salesque nunquam non inspergo. Hoc nimirum Poëtæ officium, hæc Natura, hic scopus, hæc Majestas.

Ac memoriam quidem Amicorum, qui vel virtute sibi immortale nomen pepererunt, vel de me bene meriti sunt, libenter usurpo. Amicos enim observantia retinere non minus est laudabile, quàm rem parsimonia! Et optima Beneficiorum Custos, teste Chrysostomo, est Memoria, perpetuaque Gratiarum confessio. Cæterùm in tam brevi Libello omnium mentionem injicere non licuit, sed reliqui Amoris & grati animi pignora in posterum à me exspectabunt.

Verùm nescio, quis rumor aures meas occupârit, esse quosdam delicatulos, quibus stylus meus nimis simplex, nimis perspicuus, nimis humi serpens, nimis servilis, nimis deniq; à gravitate, nescio quà, alienus videatur. Grave & sublimè genus hominum! Enimverò eò ventum est, in hac delira mundi senectà, ut ingenia & mores hominum cum temporibus noventur; tempora autem singulis ferè mensibus aliam conditionem, aliamque faciem accipiant. Hinc talis stylus, talis Phrasis, nostrorum hominum hoc tempore, qualia ingenia, quales mores. Obsoleta, hiulca, & semibarbara vocabula, à veteribus etiam summo studio antiquata, nunc quidam quasi crinibus à tergo in lucem protrahunt, eaque in omnibus Scidulis & Schediasmatis vulgo occinunt, obtruduntq; ut doctiores videantur, quàm sunt.

Parcant

Parcant hîc mihi Scaligeri, Lipsius, & hujus ordinis alij, nostræ ætatis Miracula, qui sine exactissimo judicio & auctoritate nihil dicunt, nihil scribunt: sed qui quasdam voculas non obsoletas, sed hominum nostrorum negligentiâ, & populari sermonis usu sopitas atq; oblivionis carcere frenatas, quas orationis nostræ proprietas & dignitas retinere debebat, & usurpare rectissimè poterat, singulari industria ad usum retrahunt, atque ita puritatem antiquam conservare, & nova quædam verba pro prurienti arbitrio conficta obliterare quàm maximè student. De stolidis simiis loquor & immaturis Doctoribus, qui omnem eruditionem & elegantiam in obscuritate, ex qua sese ipsos extricare non possunt, superciliosè ponunt: quos si ad præceptiones Grammaticas revoces, penè piscículis magis mutos invenias. Ita omnes nobis videmur festivi, belli, saperdæ, cùm simus Copreæ.

Ego verò hanc sublimitatem sive Oratoriam, sive Poëticam non intelligo, non assequor: Ego aureus ille Apulejus ad Lyram. Præceptores mei, quos honoris gratiâ nomino, docuerunt me studere proprietati & perspicuitati verborum. Et quoties Calamum arripio, toties aures meas circumsonat vox sanctissimi illius Viri, de Repub. Literaria optimè meriti PHIL. MELANCHTHONIS,

quàm in Grammaticis suis toties discentibus inculcat, cùm scribit: Semper videndum est, quid probet veterum usus & eruditorum authoritas. Et hæc est caussa, quamobrem C. L. V. Præceptoris & Amici mei instar Patris perpetuâ observantiâ colendi, IOANNIS STVRMII Epistolam ad me superioribus annis exaratam huic præfatiunculæ subiecerim. Commendat ille mihi verborum PURITATEM, quæ mihi semper curæ fuit, ita quidem, ne suo loco gravitatem figurarum & sententiarum majestatem negligerem. Hinc quantum fieri potest, leniusculum Naturæ meæ ductum sequor, quâ invitâ, nec unum Metrum ad ostentationem conflare possim. Præsertim autem in Epigrammatibus molliculam dictionem adhibeo. In heroico carminum genere alios cothurnos induo, & nunquam non mei dissimilis fio; ita tamen, ne unquam mediocritatem & modestiam transgrediar. Ex stylo enim naturam meam elucere cupio. Hæc amat mediocre & simplex vitæ genus, pompositum aversatur: Fortunam sibi optat velut tunicam, magis concinnam quàm longam, ut verè cum græco Poëta canere ausim:

πάντα μέσοισιμ ἄρηα; μέσῳ δ' ἐλφ ἐν πόλει εἶναι.

Dabunt

Dabunt igitur mihi veniam, qui simplici & plano orationis meæ genere non delectantur. Atque hoc interea ex me discant, si nesciunt; sæpè subesse plus versiculo leniter fluenti, quàm altè gradienti: Sæpè id, quod subest, propter puræ dictionis simplicitatem à Lectore celeri non deprehendi, & postea tamen in majorem illum admirationem rapere. Hæc est verborum puritatis proprietas, hic vsus. Me quidem aliter formare non possum, quàm Natura formavit. Puritatem nervosam amo, & verba mea vel electro lucidiora esse opto. Sæpè enim saburra verborum pulcerrimam sententiam abscondit.

Cæterùm non sine caussa breviorem hunc libellum in manus hominum venire patior. Partiar in posterum ita ἐν βραχεῖ, si DEVS voluerit, omnia mea opuscula, tùm ut paucioribus in reprehensionem lectorum incurram, si incurrendum sit; tùm ut eorundem judicia explorem securiùs, & emtorem librarius faciliorem inveniat. Neque enim in quantitate aut multitudine, sed bonitate rerum Nobilitas consistit.

Quod si quis rogat, cur præter Epigrammatum fasciculos nullum grandioris Poëmatis spe-

tis ſpecimen edam; huic reſpondeo: Seriùs edi & tutiùs, quæ diutiùs victura ſunt. Equidem non inficias eo, ſcripta in promptu mihi eſſe diverſi generis plura, & meditata fortaſſe accuratiùs, quàm Epigrammata hæc in itineribus pleraque & Amicorum congreſsibus effuſa: ſed hæc diutiùs ſub incude agitanda & premenda ſtudioſiùs agnoſco. Ne tamen ullius deſiderio deeſſe, aut illud λάθε βιώσας nimis ocioſo & ſecuro animo ſectari, aut Vacunæ ſacrificare videar, promtum paratumq; me offero, omnes lucubratiunculas meas intra unum atque alterum annum in publicum extrudere; ſi Typographum invenero commodum & æquum, Patronum illuſtrem, liberalem, & artium noſtrarum non tam amantem, quàm intelligentem, Lectorem candidum, Dominam noſtram faventem, quàm quæſo? Fortunam. Idque facturus ſum eò liberius maturiusque, quò valetudine magis tenui & fragiliori utor. hæc namque exiguam ſpem mihi facere videtur, quòd ſim futurus ſerus conviva Tonantis, ut ille ait.

Habebit igitur non multò pòſt, præter alteram Epigrammatum ſylvulam, benevolus Lector, heroicorum & Elegiarum Opuſcula diverſi generis, nec aliorum judicio prorſus injucundi; ſi vitæ curriculum protrahet Auctor vitæ ille unicus Opt. Max. Cur enim imbecillis

becillis jngenij fœtus ab amplexu bonorum arceam, cùm, quorum communis est DEVS idemque Pater (ut graviter dictum à Xysto Pythagorico) horum & possessio communis esse debeat? Τῷ πονδντι ἡ θεὸς συλλαμβάνει, ait Poëta Ethnicus.

Non igitur DEO, Patriæ, Amicis, opellas meas impendere desinam, nec conatus mei erunt irriti. Benedicet mihi Dominus, & Mecœnates ostendet ex multis paucos probos, sub quorum umbra & patrocinio Musæ nostræ deliteſcant, Hymnos DEO decantent, suisque votis omnium bonorum conatus prosequantur.

In quorum numero, cùm te jam ab ipso DEO collocatum esse, Princeps Illustrissime, re ipsa præclarè expertus sim; nihil mihi prorsus obstare patior, quo minùs hanc primam Opusculorum meorum partem celeberrimo nomini tuo inscribam, & per hunc aditum mihi ad te liberiorem aperiam. Quæro enim scriptis meis Patronos non tam potentes & faciles, quàm quos ipsa literarum cultura & cognitio supra alios Principes, animi donis, rerumque successu evexit; qui inter nugas & seria judicium ferre, aliis remotis arbitris, possint.

Talem te esse, omnes tui sermones, omnes actiones, omnes parietes, omnia doctorum monumen-

numenta loquuntur. Ciceronis officia aureolos illos libellos, ad ungvem te memoria tenere, & sæpè in consiliis integras sententias & paginas, sicuti non minùs aliorum gravissimorum authorum, in loco allegare, ex tuis Consiliariis, Viris Clarissimis, in aulâ Cæsaris, Domini mei clementissimi, hisce auribus audivi. Iidem prædicarunt mihi pietatem tuam summam, humanitatem incredibilem, & propensum in nostrum ordinem Amorem.

Quod cùm ita se habeat, quis potest esse prior, cujus Patrocinio hoc Opusculum committam, quàm Tu, qui jam antè pagellas meas tuâ manu & lectione dignatus es?

Offero igitur Tibi humilimâ mente quicquid est Libelli, Heros potentissime, teque quàm possum maximè oro, ut Munusculum hoc chartaceum sereniſsimo vultu accipias, Musas fessas tuo favore & hospitio paululùm digneris. Erit fortasse una atque altera hora, quam post rerum gravissimarum tractationem, animi relaxationi, & his lusibus dare non renues. De quo nullum mihi est dubium. Scis enim animos hominum, præsertim Virorum illustrium, quibus Reipubl. salus, molesque incumbit, interdum quibusdam oblectamen-

tramentis reficiendos esse; quemadmodum cælator oculos diu intentos & fatigatos remittit, &, ut dici solet, pascit.

Quod si qua minùs expolita invenies (ut erunt) ea animo mitiori feras. Vix enim ex febri diuturnâ & crudeli eluctatus hanc sylvulam collegi, corpore langvido, & animo curis gravido. Utinam sit Augustus aliquis, qui me mâlit bonis artibus curam studiumque impendere, quam vitæ à sordibus vindicandæ. Meliora, quæ promitterem, vix haberem: sed ne deteriora quidem. Ut enim Stolonibus amputatis, omnia in arbore celeriùs adolescunt, nimirùm alimentis in unam collatis stirpem: Ita animus sublevatus curis & molestiis supervacuis, plus efficit in studiis honestis, totâ mentis vi in idem intentâ. Iterum igitur ad te exclamo:

Tu mea diuersis exercita tempora fatis
Subiice indicio, DVX generose, tuo.
Agnosces ultrò: mecum communia doctis
Omnibus in terris fata fuisse Viris.
Agnosces eadem (si quid tua Numina possunt)
Esse Patrocinio restituenda novo.
Quid dubitem? sacra est uni mea Musa IEHOVÆ:
Hinc fata invenient per pia vota viam.

Rara

Rara viro est Virtus Pietas in Principe: sed quò
Rarior est, maius cum prece fœnus habet.

Benè, beatè & feliciter vale illustrissimum Germaniæ Sydus. Datæ VVitebergæ, Calend. Sept. Anno Christianorum cIↃ. IↃ. xciii.

Tuæ Celſ.

humilimus
clientulus

SAL. FRENCELIVS.

JOANNES STVRMIVS

SALOMONI FRENCELIO, P. L. Viro ornatissimo, Amico suo.

PLacet mihi Adolescentia tuorum versuum. Tam magnus eris, quàm cõstans eris in hoc studio. Natura in te apparet: apparet etiam Exercitatio, & ita apparet, ut amem versus tuos; & tam diu amabo, quàm diu tu perpetuabis hoc studiũ. Si prudens eris, ut esse incepisti in sententiis; si purus in verbis esse perges: si naturam tuam, ut hactenus; conservabis temperantiâ, Homericâ lætitiâ, nõ furiosorũ nostri temporis Poëtarum insaniâ: & ego aliquid magnum à te exspectabo, & posteri experientur. Vale mi FRENCELI. Northemij, 5. Febr. An. 85.

Talis eram, cùm visa mihi tricesima Messis:
O me olim in Messem collige, Christe, tuam.

Prima, ſecunda data eſt: reſtat mihi tertia cœlo:
Cycne coronabit te DEVS: ergò cane.

HENRICVS RANZOVIVS, REGIS DANIAE Vicarius, &c.

IN INSIGNIA ET SYMBOLUM SALOMONIS FRENCELII, P C.

Per angusta ad augusta.

Clarus ad AVGVSTVM *tendens* Frencelius *arte*
AVGVSTO Salomon *tramite carpit iter.*
Et quia prædulci modulatur Carmina venâ,
In galeâ residens dulcia cantat Olor.
Laurea serta gerit clypeo fulgentia latè:
Vatis enim clarum nomen adeptus ovat.

IN EADEM.

Non nova Nobilitas, Salomon, *quâ maximus*
Te Cæsar, statuens editiore gradu. (ornat
Nobilis es virtute satus, generosus es arte,
Ingenio, dextrâ: nobilis ergo sat es.

FERDINANDVS GEIER
ab Osterburg, Dapifer Cæsarius, fac. Pragæ, 2. Mart. An. 1589.

TOBIAS LINDNER A GRONAICH, inclytæ Reipub. Vratisl. Camerarius & Senator.

FRencelio Patriæ fines gratantur honorem:
Gratatur Pacem Frencelius *Patriæ.*

ALIVD.

ALIVD.

FRencelio *laudem docti celebrisq; Poëtæ*
Qui dat, cum Musis convenit ille bonis.
Frencelio *famam suauis, teretisq; Poëtæ*
Qui non dat, Musis invidet ille bonis.

IOAN. HILDEPRANDVS MECKherus à Baligheim, Eistadiensis Episcopi Cancellarius.

Aliud
IN INSIGNIA.

HÆc data Frencelio *cur sint Insignia Vati*
Felix RVDOLPHO CAESARE *Musa refer.*
Laurea perfectum triplex docet esse Poëtam,
Quem meritò visum nobilitare fuit.
In medio Baculus, ramo quem cernis adunco,
Denotat aduersas quas tulit ille vices.
At tandem virtus fortunæ incommoda vicit,
Nec voluit rebus succubuisse malis.
Scilicet hoc volucris pennæ plaudentibus alis
In Galeâ Cycni stantis imago docet.

LVCAS GEITZCOFLER, I. V. D. Ill. D D. Barr. Fuggerorum Consiliarius.

ALIVD.

COrpore candet Olor, *præstans dulcedine Cantus,*
Vitaq; sic ornat candida Vatis opus.
At decus hoc, Salomon, quoniam venaris vtrumq;,
Et niveâ jungis cum pietate modos:

Nulla tuas poterit laudes abolere vetustas:
Nanq; pij genium Carmina Vatis habent.

NICOLAVS STEINBERG.
Scholarum Vratisl. Rector, P.L.C.

ALIVD.

VEl prodesse suâ vel delectare Poësi,
Vatibus hoc priscis unica cura fuit.
Hellada si spectes Latiive Lycæa: sed illis
Cum turpi, in versu, Matre Cupido sedet.
Præstat Frencelius *quoq; noster utrumq;: sed omnis*
Vita & Musa viri est sobria, casta, pia.
Dedita turba sacris studiis, placidisq; Camœnis
Cujus ab innocuis mella legat foliis.
Sensit id Imperij Dominus, sensere Barones,
Sensit multorum stirps generosa Ducum.
Hinc sua in Authorem certatim dona tulerunt:
Nobile stemma, aurum, Laureolæq; Decus.
Frencelij *exemplo, Iuvenes, addiscite digna*
Heroum generi, grata sonare DEO.

SEBASTIANVS HOFMAN
in Henersdorff, Reipubl. Gorlicen.
Consul.

ALIVD.

VT pius Æneas telluris operta subiret,
Perq; Domos Ditis vacuas & inania regna
Ire ad conspectum Genitoris posset, & ora,
Fatalem virgam monitu imperioq; Sibyllæ
Abstulit antiquâ viridantis ab Arbore sylvæ.

Vt

Vt genus Heroum, priscorum & nomina Vatum
Docta quibus niveâ cinguntur tempora vittâ,
Elysiumq́ petat laudis succensus amore:
Frencelius *Ramum Lauro frondente revulsit.*
Res placuit Phœbo, Clypeiq́ umbone Poëtam
Iussit, & in Ramo teretem depingere ramum.

ALIVD.

BArbaries inimica redit, capite arma Poëtæ:
Ista sacris debet pestis abesse Scholis.
Frencelius *monstrum domiturus verbere, ramum*
Tollit, & ad pugnam se parat Arte novam.

HENRICVS MEIBOMIVS.
Poëta Coronatus, in inclita Academia IVLIA Professor.

Aliud
IN EFFIGIEM ET INsignia Authoris.

CVm Pictura sacræ Res sit cognata Poësi;
Iure suo vultus exprimit illa tuos.
Vt benè sunt vivis deducta coloribus ora
Frenceli! *ut similis splendet Imago tui!*
Delia conspicuos exornat Laurea Crines:
Scilicet hæc docto Carmine parta venit.
Cingitur ingenuum ferrato tegmine pectus:
Scilicet Austriaco pro Duce Miles eras.

Ast auro Torquis tua Colla volubilis ambit :
Scilicet is pignus Nobilitatis erit.
Deniq; quem gestas pictum fulgentibus Alis,
Vatis ad effigiem candidus astat olor.
Ille tuæ Cantu dulcedinis æmulus Ales,
Ille tuos animos cordaq; pura notat.

IOAN. CYANEVS
P. L.

Epigrammatum

SALOMONIS FRENCELII SYLVVLÆ PRIMAE.

SEMITA PRIMA SACRA.

DEVS FIDE COMPRÆHENDITVR.

IN totâ rerum Naturâ sunt duo tantùm,
Nil quibus aut cœlum terrave majus habet.
Vno nil oculis capitur magè, nil minùs uno:
Illud tota Orbis Machina, at hoc DEVS est.
Quàm benè conspicitur sublimi Machina vultu,
Tàm benè conspicitur Luce DEVS Fidei.

ΣΥΝ ΘΕΩ.

Symbolum FRENCELII è Platone desumtum.

MOllis ut aspiret nostro Fortuna labori,
Ordiar à Solo non nisi cuncta DEO.

IDEM ALITER.

VNde coruſcantes cæli verſatilis orbes?
Vnde tot aſtrorum corpora, ſigna, viæ?
Vnde procelloſum mare, telluriſq; theatrum,
Vnde hominum formæ tot pecudumq;, rogas?
MENS nonne eſt cælo ſapiens, bona, libera, verax,
Æterna, omnipotens, caſta, benigna, gravis?
An non ipſa Parens rerum Natura Satorem
Agnoſcit Dominum, qui regit iſta, ſuum?
Hic ergo hic rerum Dominus mihi rebus agendis
Solus principium, clauſula ſolus erit.

ALITER.

Finis ut inceptas felix comitetur opellas,
Auſpicio nitar proſperiore DEI.

ALITER.

Pura Poëtarum qui pectora concitat Oeſtro,
Ille eſt Ingenii Fons & Origo mei.
Ille mihi teneras in vivida carmina vires
Sufficit: ille dedit, Mens mea quicquid alit.
Conferet Ille DEVS mihi plura rogatus habenti:
Ergo ſit, & maneat Fons & Origo mihi.

ALITER.

Auxiliante Deo vitæ primordia ſumſi,
Auxiliante DEO mortis obibo diem.

Auxiliante DEO surgam redivivus in auras,
Et vivam in cœlis auxiliante DEO.

ALITER.

TV mihi principium, DEVS, & tu Terminus esto:
Sic, quacunq; fruar sorte, beatus ero.

ALITER.

ESse meis Studiis quòd non inimicus Apollo
Creditur, atq; favet Calliopœa mihi:
Cæsario serpit quòd munere tempora circum
Nostra Poëtarum Laurus amœna decus:
Vnica caussa DEVS: namq; ipso Præside, & ipso
Auspice conficio non malè, quicquid ago.
Ille meos igitur pòst amplificabit honores
Iure Patrocinii, dive RODVLPHE, tui.
Ille novercantis fortunæ carcere raptum
Constituet posthac liberiore throno.
Ille suo vitæ Sociam mihi tempore junget, ..
Quæ sit idem Thalamo, Musa quod Ingenio. ..
Quòd si spes istas secet inclementia fati,
Attamen auspiciis fiet id omne DEI.

ALITER.

VT fortuna tonet, fremat, insultetq;, quid ultra?
Pendet ab arbitrio Sors mea tota DEI.
Hoc ego Fortunæ fremitus & fulmina vincam,
Et tandem optatá conditione fruar.

Gratia tum demum, multis quæ prorsus Amicis
Esse putabatur mortua, fœnus erit.
Nullum pœnituit, qui res Duce & Auspice Christo
Gessit, eiq; placens omne dicavit opus.

DEVS THESAVRVS MEVS.

GOTT mein Gut.

Symbolum Coniugis suæ EVAE IOTTIN, à Schauerwitz.

SIt mihi, quod satis est: vos splendidiora valete
Stercora: Thesaurus tu DEVS esto meus.

DEVS INCARNATVS.

O Bonitas invicta DEI! DEVS ecce relinquit
Sidereos tractus, nostraq; regna petit.
Regna quid appello? terram, quæ lerna malorũ est,
Posthabitis cœli sedibus, ille subit.
Amplius! ecce DEVS fit homo: ter maximus ille
Induit humanæ tam grave carnis onus.
Nascitur ævi expers illæsa Virginis alvo:
Res nova! sed quanam tantus in Arce Puer?
Arx stabulum, Cunæ præsepia, Stramina Lectus:
Hæ sunt divitiæ, deliciæq; DEI.
O miserum Regem! at quæ mira hæc Regis Egestas,
Omnia quæ Mundo munera summa tulit?

IN

IN DIE PALMARVM.

Sponte suum letho caput obiecturus, Asello
Impositus, Solymæ mœnia Christus adit.
Excipitur plausu, vestitu, frondibus Hospes:
Excepisse Ipsum gloria quanta DEVM!

IN DIE PARASCEVES.

Hæc est illa dies, quâ tu tam infame subisti
Mortis pro nostrâ, Christe, salute genus.
O utinam mores finem instituamus ad illum,
Ne te pœniteat succubuisse Neci:
Insontem pigeat neu te fudisse cruorem,
Et condemnatæ flagra tulisse manus.
Fac ut mente tuum gratâ meditemur amorem:
Sic capies mortis tædia nulla tuæ.

CRVCIATVS DOMINI.

EPIGRAMMATA DVO:

Alterum incerti Authoris: alterum FRENCKLII hortatu Amici concertantis.

Ανώνυμος.

Ecce cruci adfixum, quo cuncta movente moventur,
Cujus cuncta bibunt fontibus, ecce sitit.
Qui fabricat Brutis, Avibusq; Sedilia pendens
Nil, sua quo cervix, sustineatur, habet.
Qui dat sceptra, gerit de sentibus ecce coronam,
Latrones inter gloria: summa probro est.

Quiq; refrigerium est, ipse est Solaminis expers,
Et vitæ Dominus mortuus ipse jacet.
Hæc dixisse velim, sed tu memor esto, tot atq;
Tanta tui caussa sustinuisse Deum.

ALIVD FRENCELII.

EN, qui cuncta movet, transfixus ab Arbore pendet,
Omnia qui fluviis irrigat, ecce sitit!
Qui pecori, ac Avibus, nobisq; habitacula condit,
Nil, quo cervicem fulciat, ecce videt.
En spinis cinctum, qui Reges ipse coronat,
Latrones inter dedecus ecce Decus!
Quiq; est Ipsa Salus, est expers Ipse Salutis:
Qui vitæ est Author, subditur ecce neci.
Quid juvat hæc vidisse, nisi tu credis, atroces
Pro te tot pœnas Ipsum obiisse Deum?

CRVX CHRISTI.

IN Cruce cum vitam pro me profuderis olim,
Fas me, Christe, tuâ pro cruce ferre crucem.
Mors tua Vita mea est, Spina est Diadema, Sepulcrum
Libertas, tua Crux Lux mea, Vita, Salus.

DE EADEM.

CRux tua, Christe, mea est Lux, Lux hæc Spes mea, Spes est
Vita: Salus ergo sub Cruce tota mea est.

ÆNI-

ÆNIGMA.

Nota ignota Arbos, foliis viduata, simulq;
Plena stat in gremio, Terra beata, tuo.
Te radice ambit, pulsatq; cacumine cœlum,
Parte unâ penitus marcida, parte virens.
Brachia lata agitat totam distensa per Orbem;
Vnâ parte Malis fœtida, odora Bonis.
Mortua Mors jacet ad radicem: Vita cacumen
Possidet; in Medio Fons medicantis Aquæ.
Grata Bonis, exosa Malis; dolor, atq; voluptas:
Vtilis inde Bonis, pernicioſa Malis.
Hæc Arbor qualis? perquire Oracula Vatum:
Scanditur hac cœli Regia: Terra vale.

CRVCIS FASTIDIVM.

Non genus est vitæ magis à pietate remotum,
Quàm quod non discit vim tolerare Crucis.

ALITER.

Longiùs à Christo nemo divertia ponit,
Quàm neq; qui discit, vult neq; ferre crucem.

DE CRVCE CHRISTI,
In libellum Ioan. Pitisci.

Dulcis, amara simul res est Crux inclita Christi:
Illa Bonis moles dulcis, amara Malis.

Id docet iſte Liber, quem ſi quis pellegit, is ſe
Vel ſciet eſſe Bonum, vel ſciet eſſe Malum.

REDITVS DOMINI in vitam.

PRò magni vis quanta DEI! tot probra, tot ictus,
Tam grave ſupplicium paſſus, & omne nefas;
Iamq; cavernoſo Chriſtus tumulatus in antro
Divino armatus Numine ſurgit humo.
Surgit, & in mediis viuum ſe cœtibus offert,
Victoremq; feræ ſe probat eſſe Necis.
Militis excubiæ quorſum? molimina quorſum?
Quò tua, Rex Erebi, vis labefacta ruit?
En Rex hic alius cœli, terræ, Æquoris, Orci;
Dum patitur vinci ſe Nece, Victor abit.
Prò magni vis mira DEI! nos morte redemit
Mors Chriſti, & Vitam poſthuma Vita dedit.

DE EODEM.

AVdiit ut Chriſtum redivivum exiſſe Sepulcro
Nauta Charon Baratri, totaq; Colluvies:
Corda tremens feriit pavor, atq; hinc angulus omnis
Omne latus diris planctibus intremuit.

TRIDVVM HOMINIS.

ENthea cum numero ſubſint Myſteria terno,
Tres mihi præcipuè ſunt in honore Dies.

Prima

Prima, cruentatâ quâ Christus in arbore mortem
Oppetiit, Morti ne mala præda forem.
Hæc donec, superest vitalis in ossibus humor,
Est sub Mole crucis continuanda dies.
Altera, quâ dulci compostus pace quiescam
In tumulo, oblitus Mortis & Exsilij.
Tertia, quâ revocer tellure, geramq; triumphum
In cœlo auspiciis, Rex redivive, tuis.
Hoc dulce experiar; facilè obliviscar amari,
Prima propinavit quod mihi cunq; dies.
Prima Labor, Requies est Altera, Tertia Vita est:
Prima, Secunda spei,, Tertia plena rei.

ASCENSVS DOMINI ad Cœlos.

Sic erat in fatis; Vatum hæc præsagia, Christus
Clauderet ut certo fine salutis opus.
Factus homo crimen DEVS expiat Orbis avitum,
Placat & iratum morte tremente Patrem.
Mortuus in vitam redit è squaloribus agri,
Quæq; superfuerant conficienda, facit.
Omnibus exactis repetit, quas liquerat antè,
Sedes, ætherij regna beata throni.
Perq; cavas nubes, inter media agmina Vatum,
Corpore Victor ovans fertur in astra novo.
Hinc olim Reducem terræ aspectate Coloni,
Exseret extremâ Sol ubi luce caput.

Vtq; triumphali tum consistatis in arcu,
Maturè Christi carpite signa pedum.

PENTECOSTE.

POlicitus quod erat cœli Spirabile Numen
Discipulis Christus mittit ab arce suâ.
Aura venit, totamq; Domum splendore perurit,
Bissenos Proceres dum simul una capit.
Pervia divinus pertentat pectora motus,
Ardescunt facibus linguaq; Mensq; novis.
Quid mirum? nonne hæc Aura est venerabile Numē,
Quo sine nulla Fides, quo sine nulla Salus?

SACROSANCTA TRINITAS.

STulte, quid ingenii tentas indagine Numen,
Vnde sit? anne putas id ratione capi?
Quid mare si totum fundas mirandus in Vrnam,
Aut digito tangas culmina summa Poli?
Quàm certum, Mortale Genus formasse Tonantem,
Tam certum est, mundum qui regat, esse Dēum.
Aspice te te ipsum, diversos aspice tractus,
Aspice regna salo, regnaq; fixa solo.
Quæ res parva Dei non monstrat Numina magni?
Qui negat, hunc umbram non reor esse hominis.
Vnum est sub triplici Numen, triplexq; sub uno:
Hoc venerare animo simplice, satq; scies.

SOBRIA

SOBRIA SAPIENTIA.

TE submitte Deo: nunquam captanda relinque:
Id sat scire, Deus quod tibi scire negat.
Sectari nunquam capienda, sitire bibendo est:
Omnia scis, nescis si violare fidem.

ALITER.

NVllius arguti sublimis opinio mentem
Fascinet Ingenii, nascitur unde tumor.
Si quis, quod confert Sapientia, Nomine gaudet,
Quàm sapiat, stultus fiat is antè puer.
Splendida si quid enim humanæ est sapientia Mentis,
Stulticia est tantùm futilis ante Deum.

ROSA IMAGO CHRISTI.

EST Rosa parva, rei sed magnæ dulcis Imago,
Namq; refert Christi proprietate Necem.
Ambit Spina Rosam: sic pro Diademate gemmeo
Cinxerunt Christi spinea serta caput.
Sanguineus Flori color est: sic vulnera circum
In toto Christi corpore sanguis iit.
Non Rosa, quòd rodat, sed quòd rodatur ubiq;
Spinarum infestâ Cuspide, nomen habet.
Sic animo Christus tolerat patiente dolores,
Pro rabidis fundens hostibus ipse preces.
Concidit æstivo Rosa Sole repente: Furoris
Marcescit patrii Filius igne Dei.

Ora

Ora genasq; levat maculis Rosa perlita: Christus
Obscenâ scabie pectora nostra levat.
Restringuit calidam Rosa vim sub Vulnere: Christus
Irati exstinxit flammea corda Patris.
Humanæ prò quàm Rosa dulcis Imago salutis;
Parva quidem, abstrusæ sed Nota magna Rei.

DEI PATRIS
φιλοσοργία.

Natum quis Obsidem suum
Unquam dedit? dedit Pater
Æternus ille, quo omnia
Cum sint minora, non minor
Amor est, genus Mortalium
Quo noxium complectitur
Verè Pater. nec dum tamen
Genus pudet Mortalium
Amore abuti patrio?

SEQVVNTVR PERIOCHÆ GNOMOLOGICÆ,

de omnibus tam festis diebus, quàm Dominicis, singulæ Disticho inclusæ:

IN VSVM PVERITIÆ SCHOLASTICAE, ET INPRIMIS SCHOLÆ Oppersdorfianæ.

De quibus

LECTORI NON ÆQVO.

SVnt Pueris hæc scripta: tibi, Sapientule, nõ sunt:
Quanquam iudicio es tu quoq́, credo, Puer.
Duximus hæc Pueris puerili disticha filo:
Quæritur hîc ergo Gloria sola DEI.

DOMIN. I. ADVENTVS,

Matthæi 2.

SPonte petit Solymos, ut ibi moriatur IESVS:
Nos decet amplecti spontè salutis opus.

DOMI-

DOMINICA II. ADVENTVS.
Luc. 21.

Discenda extremi prænuncia signa Diei:
Felix, quem melius vivere signa monent!

DOMINICA III. ADVENTVS.
Matth. 11.

Se probat esse Deum sua per miracula Christus:
Qui negat hæc, hostem se probat esse Dei.

DOM. IIII. ADVENTVS.
Iohan. 1.

Functio quæ sua sit, Baptista rogantibus effert:
Cuique fatenda palàm, non reticenda, Fides.

IN DIE NATALI DOMINI.
Luc. 2.

Quis Puer hic? Iesus: quid habet? nova dona salutis:
Quæ Genitrix? Virgo? quis Pater? ipse Deus.

ALITER.

Virgine Matre, Parente Deo Deus editur Orbi:
Nascitur ecce Deus, ne moriatur homo.

DIE

DIE STEPHANI PROTOMARtyris. Actor. 6. 7.

OBruitur Stephanus lapidũ strue vera professus:
Nil timeat, Servus qui volet esse Dei.

DIE IOHANNIS EVANGELISTÆ. Ioan. 21.

HIc pascenda Deus commendat ovilia Petro:
Pascit honore Deum, qui bene pascit oves.

IN DIE INFANTICIDII. Matth. 2.

HErodes necat Infantes, ut mactet Iesum:
Ah miser, in Dominum qui capit arma Deum!

DOMINICA I. A NATALI. Luc. 2.

ANna canit laudes sene cum Simeone PUELLIS:
Is demum est Vates, qui canit acta Dei.

DIE CIRCVMCISIONIS. Luc. 2.

IPse Deo Natus ferro præputia subdit;
Impleat ut legem, munia legis obit.

DIE EODEM, DE Nomine IESV.

NAta recens Soboles sacratur nomine IESV:
Nomine qui IESV nititur, astra petet.

DOM. A CIRCVMCISIONE proxima, Matth. 2.

NE cadat ante diem Christus, fugit arma Tyranni:
Hostibus haud temere est obijcienda salus.

IN EPIPHANIIS DOMINI, Matthæi 2.

TRes Reges Regum Regi tria dona ministrant:
Qui sua fert Christo munera, dives abit.

Nota. Non ignoro, Magos hos fuisse, homines summæ eruditionis & dignitatis. Regum verò nomen, pio Antiquitatis sanctæ Iudicio, hîc in Scholâ Puerorū retineri, non est inutile: cum de hac Historia, ab ipsis cunis, Trium Regum nomen pueri memoriæ mandare soleant, ut Maiestatem Christi ex cultu Regum maioris æstimare assuefiant.

DOMIN. I. EPIPHANIORUM, Lucæ 2.

IN templo PVER insignos docet arte Magistros:
Ars hominum nihil est ad documenta DEI.

DO-

DOMIN. II. EPIPHAN.

Ioan. 2.

DVlce Merum ex aqueo Sponsis DEUS *amne pro-*
Conjugiũ felix Hospite quodq; Deo est. (pinat:

DOMIN. III. EPIPHAN.

Matth. 8.

MIlitis & Famulum, & leprosum sanat IESUS:
Certius est nil, quàm fidere posse DEO.

DOMIN. IV. EPIPHAN.

Matth. 8.

VOce Maris rabies Christi compescitur unâ:
Ad Nutũ Domini cuncta Elementa tremunt.

DOM. V. EPIPHAN.

Matth. 13.

MVndus Ager, Seges est Verbũ, Loliũ mala Tur-
Vastator Satanas, Christus Arator agri. (ba:

ALITER.

Agricola est Christus, qui naviter excolit agrum:
O miserum, qui non pars BONA Messis erit!

VEL.

O felix, cujus pectora Christus arat!

DOM. SEPTVAGESIMÆ.
Matth. 20.

GRande ministerium pulcerrima Vinea Christi est:
Qui bene vis operam ponere, pone Deo.

DOM. SEXAGESIMÆ.
Luc. 8.

VOx Seges alma Dei est vix quartá parte viresces:
Corde Dei vireant semina, Messis erit.

DOM. QVINQVAGESIMÆ.
Luc. 18.

Cæcus opem Domini petit, impetrat, omnia cernit:
Nulla datur melior Lux, nisi dante Deo.

DOM. QVADRAGESIMÆ,
Sive Invocavit, Matth. 4.

Insidias Christo struit, at sine viribus, hostis:
Vna Dei totum Vox Acheronta quatit.

VEL:

Contra vim nulla est fraus rabiesq; Dei.

DOM. REMINISCERE.
Matth. 15.

COnsequitur, quá poscit opē Phœnissa, precando:
Nempe Suos Christus, quá juvat, antè probat.

DOM.

DOM. OCVLI.

Luc. 11.

Liberat obsessum furioso Dæmone Christus:
Cedit Avernorum Rex, veniente Deo.

VEL:

Hospes abit Dæmon adveniente Deo.

VEL:

Tartara coguntur cedere victa Deo.

DOM. LÆTARE.

Ioan. 6.

Quinq; cibant panes, ope Christi, millia quinq;:
Qui Christum sequitur, non nisi pastus abit.

DOMIN. IVDICA.

Ioan. 8.

Arguit Ebreæ Christus mendacia Gentis:
Omne refutandum est, quod negat esse Deum.

DOMIN. PALMARVM.

Matth. 21.

Ad mortem properat Solymæ per mœnia Christus:
Promta Dei est Bonitas: sit modò promta fides.

DIE VIRIDIVM.
ad Hist. 4. Euangel.

AGmine cum socio moriturus cœnat IESUS:
Cœna Redemtoris nos beat, ornat, alit.

ALITER.

Instituit Christus pia per Mysteria Cœnam:
Hac sine nemo potest vivere, nemo mori.

VEL:

Hac cœnâ melior nullus in Orbe cibus.

VEL:

Esca animæ verè est unica Cœna DEI.

VEL:

Hanc extra Cœnam vivere nemo potest.

VEL:

Tu conviva DEI sis, adigente fame.

VEL:

Absq; cibis animæ non saturatur homo.

VEL:

Esuriet nunquam, quem DEUS ipse tibat.

VEL:

Esurio: Cœnam da mihi, Christe, tuam.

DIE

DIE PARASCEVES.

ECce Deum pro te tam multa & dura ferentem:
Ne ferat hæc fruſtra, tu quoq; diſce pati.

VEL:

Ne ferat hæc fruſtra: deſine ferre ſcelus.

VEL:

Chriſti, cum te onerant crimina, pende crucem.

VEL:

In Cruce profundit vitam vitæ unicus Author:
Inſons pro cunctis ſontibus vnus obit.

VEL:

Proximus ille DEO, qui ſcit obire Crucem.

DIE FESTO RESVRRECTIONIS Domini, Matth. 16.

MOrte redit victâ Chriſtus redivivus in Auras:
Hoc Duce qui pugnat cum Nece, Victor abit.

VEL:

Qui Chriſti ſequitur ſigna, tropæa capit.

VEL:

Mors mortis Chriſti eſt vita, ſalusq; mea.

VEL:

Qui vis cum Christo vivere, disce pati.

VEL:

Per Christi vitam, quod sumus, omne sumus.

FERIA II. RESVRRECT.

Lucæ 24.

INfert se Dominus Sociis Emauntha profectis:
Sermo ubi de Sacris est, ibi Christus adest.

ALIVD IN EADEM.

NObiscum, Deus, usq; mane: nox horrida terris
Ingruit: ah lucem suffice, Christe, tuam.

FERIA III. PASCHAT.

Lucæ 24.

POst obitum atq; abitum Famulis apparet Iesus:
Quantus honor Domini Membra videre Dei!

VEL:

Sufficit in Verbi luce videre Deum.

ALITER.

DAt cernenda suis redivivus membra Redemtor:
Nos juvet in verbo facta videre Dei.

VEL:

Christum oculis Fidei cerne, beatus eris.

DOMI-

DOMIN. I. PASCH.

Ioan. 20.

AGnoscit Didymꝰ malè credulus antè Magistrum:
Qui Christum cernit pectore, cuncta videt.

DOMIN. II. PASCH.

Ioan. 20.

PAstoris Munus Pastor docet optimus Ipse:
Fidi est Pastoris munus amare Gregem.

DOMIN. III. PASCH.

Ioan. 16.

EVentura suis memorat discrimina Christus:
Sunt mala mixta bonis, sunt bona mixta malis.

VEL:

Nunquam Christicolis Sors inimica deest.

DOMIN. IIII. PASCH.

Ioan. 16.

IVdicii, Iuris, Scelerum Deus arguit Orbem:
Optimus Interpres Spiritus Ipse Dei est.

DOMIN. V. PASCH.

Ioan. 16.

NOs monet Ipse suum Christꝰ prece flectere Patrē;
Qui petit in Christi nomine, cuncta capit.

VEL:

Vota peracta DEI nomine pondus habent.

DIE ASCENSIONIS DOmini, Actor. 1.

ECce suas repetit Christus per nubila Sedes:
In cœlo, & Verbo simplice quære DEUM.

VEL:

En quónam evecta est nostra misella caro?

DOMIN. VI. PASCH. Ioan. 15.

OMnia Discipulis prædicit acerba Magister:
Omnibus est omnis Sors toleranda pijs.

DIE PENTECOSTES. Actor. 2.

BIssenos Proceres init almi Flaminis Aura:
Quem docet ætherius Spiritus, ille sapit.

FERIA II. PENTEC. Ioan. 3.

PRo Mundo Deus Ipse Neci Sobolem obijcit vnam:
Culpa hominum summa est, in Patre maior amor.

FERIA

FERIA III. PENTEC.

Ioan 10.

IPsam ad ovile suum portam se dicit IESVS:
Quisquis ad hoc aliter tednit ovile, Latro est.

DIE FESTO S. TRINITATIS,

Ioan. 3.

FLamine cœlesti, sacraq; renascimur undâ:
Nullum est ad Superos, hæc duo præter, iter.

DOMIN. I. TRINIT.

Lucæ 16.

LAzarus in cœlum defertur; Dives in Orcum:
Semita divitibus longa breuisq; patet.

VEL:

Pernicies hominis fœdus abusus opum.

VEL:

Transeat in partem pauperis vsus opum.

VEL:

Prodiga Mens odit se, sed avara DEVM.

DOMIN. II. TRINIT.

Lucæ 14.

NEgligitur summi sanctissima Cœna Parentis:
Dæmonis, hæs Epulas qui fugit, hospes erit.

DOMIN. I. TRIN.
Lucæ 15.

INvenit amissos Agnos, quos quærit, Iesus:
Mens quoties respipit devia, Christus ovat.

VEL:

O miserum, quem non invenit Ipse Deus!

DOMIN. IIII. TRIN.
Lucæ 6.

VIcini curam Christus commendat, & Æquum:
Fac aliis, fieri quæ tibi cunq; cupis.

DOMIN. V. TRINIT.
Lucæ 6.

PIscator Petrus partæ sit Præco Salutis:
Quod Christi jacitur nomine, Rete capit.

VEL:

Sunt fausta auspiciis omnia cepta Dei.

DOMIN. VI. TRIN.
Matthæi 5.

NOstra monet Christus sit mutua gratia semper:
Respuit offenso munera Fratre Deus.

DOMI-

DOMIN. VII. TRINIT.

Marci 8.

Pane Deus saturat septeno millia quattuôr:
Poscat opem Christũ, quẽ premit ægra fames.

VEL:

Christi Fama famem sedat, & esse facit.

DOMIN. VIII. TRIN.

Matth. 7.

Doctorum fugienda piis documenta malorum:
Arbor quæ bona sit, quæ mala, fructus ait.

DOMIN. IX. TRIN.

Lucæ 16.

E Plutone parat sibi Servus iniquus Amicos:
O si sit rebus Cautio tanta sacris!

VEL:

Esi Superûm inprimis conciliandus amor.

VEL:

Tu tibi Amicitiam conciliato Dei.

VEL:

Omnia, si tibi sit Christus amicus, habes.

DOMI-

DOMIN. X. TRIN.
Luc. 19.

OCcinit Exilium Solymis, fata horrida, Chriſtus:
O felix, damni quem Deus ipſe monet!

VEL:

Felix, quem Vates fata videre docent!

DOMIN. XI. TRIN.
Luc. 18.

IVre reus Phariſæus abit, Iuſtusq; Telones:
Cor Deus, haud fuco perlita verba probat.

ALIVD IN HYPOCRITAM.

NOn omnis ſanctus, qui limina ſancta frequentat:
Mens ſimulata patet, mens ſcelerata latet.

DOMIN. XII. TRIN.
Marci 7.

AVribus & linguâ captum citò ſanat IESVS:
Nulla magis præſens quàm Medicina Dei eſt.

DOM. XIII. TRIN.
Lucæ 10.

SEmineci miſeratus opem Samarita miniſtrat:
Vicini cura eſt altera, prima Dei.

VEL:

VEL:

Quando neceſſe, tuis Fratribus adfer opem.

VEL:

Deſtituens alios deſtituetur ope.

DOM. XIIII. TRIN.

Luc. 17.

LAbe decem Lepræ purgantur: gratus at unus:
Hei quàm Parva poli concio! quanta Stygis!

VEL:

Intermortua res Gratia penè hodiè eſt.

VEL:

Dixeris ingratum, dixeris omne nefas.

DOMIN. XV. TRIN.

Matth. 6.

CVra tibi victus intempeſtiva vetatur:
Servitium duplex nemo ſubire poteſt.

VEL:

Cujus agit curam Chriſtus, egere nequit.

DOM. XVI. TRIN.

Luc. 7.

MOrtuus in vitam redit unâ voce Puellus:
Vnica vox Chriſti nos revocabit humo.

DOM.

DOM. XVII. TRIN.
Luc. 4.

TOllit lúce sacrá languorem Christus aquosum:
Non vetat auxilium, quando necesse, dies.

VEL:

Hora, volente Deo, nulla moratur opem.

DOM. XVIII.ᵃ TRIN.
Matth. 22.

CHristus de sese rogitat, de lege Sacerdos:
Hic tacet, ille ipsum se probat esse Deum.

ALITER.

CONfundit Christus legum consulta crepantem:
Muta jacet Ratio nostra, loquente Deo.

DOM. XIX. TRIN.
Matth. 9.

MEmbra soluta Deus sanat: Scriba improbat il-
Sunt absurda Sophis dictaq; Resq; Dei. (lud:

DOM. XX. TRIN.
Matth. 22.

NOs vocat Omnipotens ad Sacra jugalia Nati:
Maxima pars tanti gaudia spernit Heri.

VEL

VEL:

Quandocunq; Deus te vocat, hospes ades.

VEL:

Grande nocensq; scelus, pabula nolle Dei.

VEL:

Fastidire Dei prandia, certa fames.

DOM. XXI. TRIN.
Ioan. 4.

ARcet ab absenti Febrim vox prævia Christi:
Proximus est, credis cùm procul esse, Deus.

DOMIN. XXII. TRIN.
Matth. 18.

LIber Hero factus conservum in vincula cogit:
Munera præsta aliis præstita sponte tibi.

VEL:

Si tua promta aliis gratia, promta Dei est.

VEL:

Quæ per te est aliis Sors, tibi talis erit.

DOMIN. XXIII. TRIN.
Matth. 22.

QVàm dextrè, Pharisæe, tuas Deus effugit artes!
Sunt sua danda Deo: sunt sua danda Diis.

DOM-

DOM. XXIIII. TRIN.
Matth. 9.

Liberat à fluxu Matrem, ipsá à morte puellam:
Et vult, & potis est Christus adesse suis.

VEL:

Vna Medela Fides est, ubi nulla salus.

DOM. XXV. TRIN.
Matth. 24.

Excidium Christus Solymæ, & simul occinit Orbi:
Iure perit, quem non vox movet ipsa DEI.

VEL:

Felix, qui Socio damna monente cavet.

VEL:

Prudens, qui clades præscit, easq; fugit.

DOM. XXVI. TRIN.
Matth. 25.

Quemq; vocaturus justũ est DEVS ante Tribunal:
Danda Bonis Merces: pœna luenda Malis.

HACTENVS PERIOCHÆ
Dominicales.

IN

IN DIES FESTOS APOstolorum.

DIE S. ANDREÆ.
Matth. 4.

ANdream è navi vocat ad sacra munia Christus:
Qui pius est, linquit cuncta, vocante Deo.

DIE S. THOMÆ.
Ioan. 20.

PErfricto Thomæ Domini datur ora tueri:
Sera placet Christo, sit modò vera Fides.

DIE CONVERSI PAVLLI.
Actor. 9.

EX Saulo Paullus fit Vas venerabile Christi:
Expiat omne atrox Mens renovata scelus.

DIE PVRIFIC. MARIÆ.
Luc. 2.

DIva Parens Natum consuetis ritibus offert:
Pro Grege nil renuit Christus obire suo.

DIE TRANSFIG. CHRISTI.

Matth. 17.

Ducere se cælo genus, ut probet, Os habitumq;
Assumit Christus monte sacro ætherium.

ALITER.

Mosem Heliamq; inter cœlestem assumit amictum
Et faciem Christus, Totus homo atq; Deus.

DIE ANNVNCIA. B. MARIÆ.

Lucæ 1.

Ecce Maria Deum paries, prænunciat ALES:
Hæc magis est cunctis vox preciosa Bonis.

ALITER.

Virgo Redemtorem Mundi pia concipit alvo:
Tam miro est nobis fœdere parta salus.

VEL.

Nostra Deo juncta est MASSA; facesse Satan.

SALVTATIO ANGELICA.

Regia ave Virgo; Dominus tecum: ecce beata es:
Inq; tuo fructus ventre beatus erit.

DIE PHILIPPI ET IACOBI.

Ioan. 14.

Multa patent Sanctis immenso habitacula cælo:
Christus ad hæc Ipsa est Ianua, Duxq; Viæ.

Aliter.

ALITER.

FILIUS æqualem sese docet esse PARENTI:
Nemo Patrem, Nato non præeunte, videt.

VEL:

Nato assiste, Patrem quisquis adire cupis.

VEL:

Nulla patet Christo porta vetante Poli.

DIE S. IOH. BAPTISTÆ.

Lucæ 1.

NAscitur effætis BAPTISTA parentibus ILLE:
In desperatis maxima sæpe salus.

VEL:

Rebus in obscuris gaudet honore Deus.

DIE PETRI ET PAVLLI.

Matth. 16.

STante suum Petrus Dominum pleno ore fatetur:
Ars summa, & laus est maxima, nosse Deum.

DIE VISITAT. B. MARIÆ.

Lucæ 1.

TEndit ad Agnatam juga per sylvasq; Maria:
Impediunt laudes tædia nulla Dei.

VEL:

Nil sit, quo cœli præpediatur iter.

VEL:

Nil sit, divinum quod remoretur opus.

DIE S. MARIÆ MAGDALENÆ.

Luc. 7.

Magdalis à Christo veniam petit, impetrat ultro:
Quære Deum, & Vitam corrige, salvus eris.

DIE IACOBI MAIORIS.

Matth. 20.

Esse pares Christo Natos vult æmula Mater:
Ambitio offendit stulta levisq; Deum.

DIE BARTHOLOMÆI.

Luc. 22.

Quilibet esse prior contendit in agmine Christi:
Tetrius haud ullum est Ambitione nefas.

DIE S. MATTHÆI.

Matth. 9.

Matthæum à furtis trahit ad sacra munera Christus:
Qui Christum sequitur, desugit omne scelus.

DIE

DIE MICHAELIS ARCHANgeli, Matthæi 18.

ANgelicæ canitur divina potentia Gentis:
Hæc fert præsentem, cui famulatur, opem.

VEL:

Vis cingi Angelicis Cœtibus? esto pius.

DIE SIMONIS ET IVDÆ, Ioan. 15.

FAta futura SVIS prænunciat omnia Christus:
Qui Christi patitur nomine, vincet onus.

DIE OMNIVM SANCTOrum, Matthæi 5.

QVos Crux sancta premit pietate probata, BEATOS
Christus ait. Tanta est Gloria ferre crucem.

AD PVEROS SCHOLASTICOS.

Ingressure Scholam sic venerare Deum.

VEL:

A prece principium sit rebus in omnibus: ergo
Ingressure Scholas hæc cane Vota Deo.

MAgne Deus fieri dignate Puellulus, adsis
Oro mihi Puero Flamine, Christe, tuo.
Fac discam primùm te nosse, timere, & amare:
Hæc tria sint studiis norma Scopusq; meis.
Sic animi Donis, ætate, Deiq; favore
Proficiam exemplo, Christe, subinde tuo.

PIETATI STVDENDVM.

OMne perit Studium, quod sacri est Numinis ex-
Vis aliquid magnũ discere! disce Deũ. (pers

LECTORIBVS ÆQVIS harum Periocharum.

AD Pueros versus pueriles scribite; versus
Qui scitis quid sit scribere posse bonos.
Tentandus labor est: pueriles scribere versus
Ad pueros dextè, forsitan artis erit.

SYMBOLVM RODVLPHI II. Rom. Imper. Vng. Boemiæ Regis, &c.

A. D. S. I. T.

MAxima regnorũ cum moles me premat; ADSIT
Auxilium Domini, qui mundum temperat; ADSIT
Desideritas dandi suffragia quælibet; ADSIT
Sobrietas, ex qua Sapientia nascitur; ADSIT
Iustitia, Imperii nervus, columen, Decus; ADSIT
Thesaurus Virtutum omnis me Cæsare dignus.

ALI-

ALITER.

Auxilio Domini Sim Iustis Tutor Amicus,
Defensor Solii, Iusticiæq; Tenax.

ALITER.

Auxilium Domini Sit Iniquis Terror, Asylum
Depressis, Sanctus Iusticiæq; Thronus.

ALITER.

Auxiliante Deo Sim Inimicis Terror, Amicis
Dulcedo: SIT Amor, Divûm Sacra Iura Tueri.

ALITER.

Summa gerendarum quamvis mihi credita rerũ est
Functio: dulce tamen, si DEVS ADSIT, onus.

ALITER.

Adsis sancte mihi Deꝰ, Adsis Arbiter Aevi:
Dũ Ductore opꝰ est, Dux sis pater optime: Dũ vis
Summa imis miscet Satanæ, contunde Superbos
Immitesq; animos: In te Spes unica Iacta est:
Te præsente mea est Tuta omni tẽpore Turba.

AD EANDEM SAC: CÆSARIAM MAIESTATEM.

Ob felicem novum Annum M. D. XC.

QVo votis certant, & mutua dona capessunt,
Quos junxit probitas mutua, tempus adest.
Scilicet elapso veteri novus incipit annus
Signa recurrentem per duodena viam.
Est opus insolitum, Mundi dare dona Monarchæ:
Insolitum haud faciet, qui pia vota dabit.
Nam quò quis major, majora negocia tractat:
Conditio magnam magna requirit opem.
Ergo tibi, Cæsar, quæ sunt optanda, precabor:
Te majora etenim munia nemo gerit.
Ex votis auro potioribus ecce CATENAM:
Hæc mea, quam dono, Strenula, Cæsar, erit.

Ex se

EX SEQVENTI EPIGRAMMATE collige hæc verba, quæ propter angustiã chartæ non ad formam Torquis, ad quam directa sunt, disponi potuerunt.

RVDOLPHVS CAESAR VIVAT DIV DEO ET VIRTVTI.

ROmanum O Decus, O Lumen, Flos, Vnio Stirpis,
O iubar Austriaci Solis, in Orbe CapuT:
Te Deus hoc veniente novo tueatVr in anno,
Atq; tVo præsens sit, velut antè, Throno.
E medio toLlat, sceptro quicunq; RepugnanT,
Et graviter Perdat, quos grauis error agIt.
Arceat His longè fata horrida finibVs, æquo
QVos regis imperio, dive Rodulphe, Tuo.
Bella, fameS, pestis, tria sunt inimica quiEti:
Hæc proCul à regnis sunto remOta tuis.
Sint tibi perpetuÆ comites sapiEntia, constans
Prosperitas, Superûm gratia, cura, fiDes.
Corpore firma salus plAcidæ tibi tempora VitÆ
Annorum serie proRoget ambrosIâ.
Ne noceat vis ulla tibi, fraVs ulla Dolusve,
Principium, MedIum, TerminuS esto Deus.
Hoc Voti Caput, hæc summa est, DeVs ADSIT, & Fortunet fAto prosperiore tibi. (annum hunc

HÆc votis connexa piis, ter maxime Cæsar,
Parva catena mea est, parvaq; strena simul.
Hac mihi Cæsariam Cervicem cingere fas sit:
Tu patere: est fructus res habitura suos.

Gaudet enim votis Deus & citò flectitur æquis,
Est & Ei curæ Cæsaris alma Salus.
Ergo sacrum munus sacrato suscipe vultu;
Hoc te vel Pietas religiosa rogat.
Anne mihi Strenam referas? tua Gratia saltem,
Quâ me prosequeris, crescat amante Deo.
Hac ego non aliter, quàm torque superbio cinctus
Aureolo: hæc stimulos addet ad omne Decus.
Cæsar magne fave: fuerit dum copia vitæ,
Totus ego in laudes ibo Poëta tuas.

AD EVND. SACRATISS. CÆS.

HÆc est Strena, tibi quam defero, maxime Cæsar:
Illam si læto suscipis ore, sat est,
Si digna hæc lectu censes, sic dicet IESVS:
Vt tibi cura MEI est, est mihi cura Tui.

Annagrammatismus.

RODVLPHVS SECVNDVS, ROMANORVM IMPERATOR, VNGARIAE, BOEMIAE REX.

Cæsar, Sol operum Dux,
præ nube gravi,
Omnium rerum honore ADSIT.

NOn semper fortuna favet, non semper Olympus
Ridet, & haud semper garrula cantat Auis.

Non horti semper, non halant floribus agri,
Nec nivibus semper frigida candet humus.
Non semper molli vomit ore Favonius auras,
Horrida nec Cauri frigora semper agunt.
Omnia cum vicibus sint hoc obnoxia mundo,
Parvis parva, imis ima, suprema suis:
Cur Domvs Austriadum non spe fovearis honestâ,
Hactenus aspirat quòd minùs aura tibi?
Sol, p̃ nube gravi, Cæsar, rerũ omnium honore
Adsit Dux operum. Sol quis at ille? DEVS.

IN CHRISTO SALVS.

Semper obirem odio, nisi tu me semper amares,
O Animæ IESV sola Medela meæ.
Semper abesse mihi, nisi tu mihi semper adesses,
Cogerer, & gelidum nomen habere hominis.
Ast ego sum, quicquid sum, Tu quia maxime Rex es;
Semper ero, quoniam tu quoq; semper eris.
Quod si semper ero, quod es, & tu semper es in me,
Quis fortunatus me magis esse potest?

VIRGINIS DEIPARÆ QVÆ Gloria, & Majestas?

SCRIPTVM EXCELLENTISSIMO Domino IOANNI NVCIS, Abbati Iemielnicensi, Musico artificiosè suavi, ut numeris suis accommodaret.

Esse

ESSE Dei Matrem, per quem reparata Salutis
Integritas, quæ laus? maxima, plena Deo.
A Muliere salus amissa, est reddita summo
Consilio, & meritis, in Muliere, salus.
Salve diva Parens, humanæ maxima Gentis
Gloria, fœminei FAMA MARIA chori.
In te nostra caro magno associata Parenti est:
Ergo sumus Nati membra tenella tui.
Fœmina te major nulla est: duc Virgo Triumphos:
Nostra Salus tua Laus; & tua nostra Salus.

VIS PRECVM.

VOta Dei penetrant aures, hominumq; secundant
Cepta, sinistra fugant, dextera fata vocant.

RELIGIO FRIGET.

LVdit in ætheriis humana licentia rebus:
Hei paucis cordi est Religionis opus!

EXTREMA CALAMITAS.

CHriste, reservaris nos in quæ tempora, cernis?
Nempe quibus pejor nulla Senecta fuit.
Vincla, quibus constrictus erat, rupisse videtur
Omnia dissidii faxq; caputq; Satan.
Vsq; adeò superest nullus pietatis, amoris,
Iusticiæ, fidei, Religionis honos.

Respice

Respice nos igitur mitissime respice Iesu,
Quos circumvallant omnia fata malis.
Ne pœnas æqua sceleri, non longiùs iræ
Frena tuæ laxes: Turba misella sumus.
Parce tuæ Soboli, quæ pars est debita cælo,
Et sis Pupillis Christe Pater miseris.
Sic tibi tot motus inter, tot bella, tot hostes
Servabis sanctum Semen, & inde metes.

Fac. noctu Equo insidens, in Excubiis Regiis, ad oppidum Poloniæ Welonium.

MAGNIF. DN. IOAN. CHRIST. ab HORNSTEIN Cæsaris Consiliario intimo, ob annum felicem XC. novum.

ECce Calendarum Lux optatissima IANI
Rursus adest, precibus lux peragenda piis.
Nempe Deus magno disponit secula Mundo,
Et per concinnas dirigit illa vices.
Non casu quodam properum decurrimus ævum:
Nam finem, posito limite, cursus habet.
Seu lætis fruimur, seu tristibus utimur annis,
Arbitrio justi sit sapiente Dei.
Nobis nulla, precum supereſt quàm sancta facultas,
Hæ mala propulsant, & bona fata vocant.
Ergo tibi paucis, Hornsteni, cuncta precabor,
Quæ non sint animæ perniciosa tuæ.

Quò fers cunq; gradum, rutili custodia cœli
Demto fine tibi stipet utrunq; latus.
Sic bene tutus eris, quicunq; futurus hic annus:
Votum tale mea est Strena, dicata tibi.

EX VNO OMNIA.

Symbolum Christophori Corvini Typographi, viri boni & eleganter docti.

MEns mea quid trepidas? fera sors, & tristis ege-
Non ita te demto fine modoq; prement. (stas
Dat bona cuncta suis, huic esto dedita, Christus:
Omnia ab hoc uno *Munera Fonte fluunt.*

ALITER.

POrtus in horrisonis mihi fluctibus Area cœli est:
Ex UNO *veniunt* OMMIA, *nempe Deo.*

IN TEMPLVM RENOVATVM,

exstructum ab Ill. Dn. Barone, Dn. GEORGIO ab OPPERSDORFF Cæs. Consil. & oppolienſis Ratiborienſisq; Ducatuum Præside, in Prædio Neukirch.

HAs quoniam sedes pater OPPERSDORFIUS
Hosq; mihi fundos jure dicavit, amo, (olim

Hic

Hic mihi suasit amor, quam cernis, condere Turrim,
Et vestire novo tecta colore Dei.
Quorum sicut ego sum, Christe, GEORGIUS hæres,
Fac olim ætheriis sim tuus hospes agris.

VOTUM

ILLVSTRIS. Dn. BARONIS Dn. GUILIELMI ab OPPERSDORF, Sereniſsimi Archiducis Auſtriæ MAXIMILIANI Cubicularii, & primarii in Curia Ducatuum Opolienſis & Ratib. Senatoris, pro Sacello ſuo.

IVnior hanc GUILIELMUS ego OPPERSDORFIUS
Cultui adornavi, maxime Christe, tuo. (ÆDEM
Ostentent alii pompoſa palatia, nugis
Plena: mihi curæ eſt Sermo DOMUSQUE Dei.
Hac patet ad Superas, VERBO Duce, Semita Se-
Devia ſunt terræ tecta, referta malis. (des:
Hac placeam pietate tibi, non, Christe, colore:
At tua non ſteriles atria quæro vias.
Tu ſerva caſtos in Religione Nepotes,
Præcipuè Generis ſingula membra mei.
Plura quid exoptem? radios niſi ſpargat in orbem
Lux Evangelii pura, quis uſus erit?
Errorum hinc igitur rabidos arceto furores,
Pectoraq; imperio ſubjice noſtra tuo.
Hîc cum Patre Deo, hic habita cum Flamine ſacro:
Hæc tibi ſacra Domus: ſit tua, Christe, MEA.

In

IN EIVSDEM SACELLI Figuras.

COELUM, GRATIAE.

QVi cælum aspiras, quæ cælo propria, cerne:
Nil hìc, quod nolit, si cupis, esse tuum.

PARADISVS INSTAVRATA.

PErdita prima fuit Paradisus, at altera nobis
Reddita; qui fructus appetit, intret eam.

VINEA.

ECce velut plenis turgescat Vinea Botris:
Felix, quem tanti Nectaris haustus alit!

AGER.

HIc Seges, hìc Lolium: quod vult quis, id auferet: at tu
Christo pande tui pectoris arva; metes.

SCALA COELI.

A terrâ ad cælos erecta est Scala; beatus,
Quem non de gradibus terror & error agunt.

ANNVLVS ECCLESIÆ SPONSÆ.

ANnulus ecce nitens Gemmis: Ecclesia gestat:
Qui caret hac Arrhâ, non in amore Dei est.

CVRRVS

CVRRVS ECCLESIÆ.

Hic Currus, sunt hîc & Equi: sic itur ad astra:
Scande, & fidenti pectore carpe viam.

DIVINÆ BONITATIS MAGNITUDO, Psal. 103.

Quanta, vide, Bonitas in nos sit Numinis almi,
Quanta in Mortales gratia, quantus amor!
Supplicio delicta Deus non pensat eodem:
Cor videt, erroris quod piget, idq; probat.
Namq; in morigeros, latè sic Gratia sese
Tendit, ut à terra distat uterq; polus.
Quàm procul Eoo disjungitur Hesperus astro,
Tam procul à nobis culpa, favente Deo est.
In timidos mentem facilis Deus accipit æquam,
Ceu prolis miseret, sorte premente, Patrem.
Et nondum in melius reprobum convertimus ævum?
Et nondum Bonitas nos facit ista Bonos?

SIMPLICITAS ET RECTVM.

Symb. CL. V. Davidis Chytræi,
& Andreæ Isingii
Theoll.

Me pia Simplicitas, & Recti Norma gubernent:
Mens simplex fraudes odit, amatq; Deum.

ORANDO, SPERANDO, LABORANDO.

Symbolum Magnif. Dn. Bar. D. Christophori à Schleiniz, Cæs. Consil. Imperialis.

Vita hæc invita est Vita: ergo prece, atq; labore,
Et spe vitam nos hanc tolerare decet.
Orando fient, Sperando, laborandoq;,
Quæ Deus arcano temperat arbitrio.

ALITER.

Omnia quòd sint plena malis hoc tempore, novi:
Ast armis didici vincere cuncta tribus:
Orando, Sperando laborandoq;: vel Orbis
Vel fremat Orcus hians, vel Mare; tutus ero.

IN EIVSDEM PARAPHRASIN

elegantiss. supra illud Psalmi 120. Auxilium meum à Domino, &c.

Stylus character pectoris:
Castus canit castissima:
Spurcus canit spurcissima.
Laudat BONOS qui vir Bonus,
Laudat Malos, qui Vir malus,
DEVM, Dei qui Filius.
Verè Poëta ô entheus,
Vatisq; digne nomine,

Qui

Qui digna pangit Numine!
Poësis ô tantùm, SACRA!

SAMVELI SEHDFISCH,
Consuli VViteb. & Bibliopolæ
clarissimo.

De Editione bonorum Librorum.

CAna Senecta quidem Morti vicina putatur:
Verùm Mors in te nil fera juris habet.
Nam tua te Pietas, & sancta Industria lethi
Vindicat à longo Carcere: macte Senex.
Divinas nec enim celebras tantummodò laudes
Ore, colens castâ Religione Deum:
Quin quoq; propagas Operum editione bonorum:
Sumtibus hìc nescis parcere: macte Senex!
Multa vident lucem per te dignissima luce,
Lethæis aliàs quæ premerentur aquis.
Quantum illud, toties quòd BIBLIA *sancta recudis,*
Inq; Salutis iter barbara corda trahis?
Macte! Dei per te, SAMUEL, *pia* GLORIA *crescit:*
Illa TVA est: nunquam te sinet Illa mori.

PECCANTIS MEMBRI POENA.
Dictum D. Bernhardi.

QVò quis deliquit membro, torquebitur illo
Acriùs hei stygiis crimine mersus aquis.

TEMPERANTIA.
è Quintiliano.

NOn ut edat, vivit: sed edit, quò tempore certo,
Quod pia præscribunt Numina, vivat homo.

IN DIE MICHAELIS ARCHangeli, pro Custodiá Domus Curtiæ.

ANgelicis hæc sacra Dies est laudibus, ergo
Et cultu, & studiis est peragenda sacris.
Nam, secura damus molli quòd lumina somno,
Quòd vitam tutò ducere cuiq; licet;
Muneris Angelici est: an non res mira, Ministros
Attribuit nobis quòd Deus Ipse suos?
O mitem placidumq; Patrem, fortissima cujus
Pro nostrâ excubias Turma salute gerit!
Gratia Christe tibi MichaeL Archangele, per quem
Suppeditat nobis omnia Cura Patris.
Tu porrò ætheriis defende cohortibus omnes,
Qui contra Insidias Dæmonis arma gerunt.
Cinge Satellitio tali fora, templa, Scholasq;,
Tectaq; privatæ qualiacunq; Domus.
Incolumes maneant sic te Custode penates,
Quos hac IACOBUS CURTIUS Vrbe colit.
Vxorem inprimis casu tuearis ab omni,
In cujus cœli Plantula ventre latet.

Deniq;

Deniq; Cœlicolis curæ sit amandula Proles,
Possidet, & quicquid Curtia Tota *Domus.*
Nam cui, Christe, tuo cœli famulantur Alumni
Imperio, hunc frustra mille pericla petunt.

Symbolum
NOBILISS: VIRI IOACH.
à Bassevitz, Illust. P P. Megapol.
Consiliarii.

TEMPVS ABIT, MORS VENIT.

TEmpus abit, Mors limen adit: cape tædia vitæ,
Dum licet, haud vitæ copia semper erit.

FIDES IN SPE.
Eiusdem Bassevitii.

CVra vale: Medicina meo est inventa dolori:
Credula tota Deo Spes mea, cura vale.

IEHOVA ECCLESIÆ,
Iesaiæ 49.

TAnta potestne ullam satiare oblivio Matrem,
Securam ut Sobolis suadeat esse suæ?
Hæc licet in duram cadat inclementia Matrem,
Non tamen Ipse tui non memor esse queo.
Quin manibus scripta ipse meis tua nomina gesto,
Ante oculos tua sunt mœnia fixa meos.
Accurrent celeri gressu, queis condere muros,
Et fugient, quibus est diripuisse labor.

MENS INCLVSA COELO.

Symbolum

Nicol. Clementis Trellæi Moſellani.

NOn clemens non eſſe poteſt tibi magnus IOVA,
O Clemens: quoniam eſt mens tua fixa polo.
Quicquid ab adverſâ tibi parte minatur Erinnys,
Ne metue: eſt cœlo maxima & una ſalus.

SPES INVICTA.

SPes bona corde pio fatis præſcripta moratur
Tempora, præſcribit tempora nulla Deo.
Ille diem indicit nullam Mortalibus ægris,
Quâ velit optatam ferre rogatus opem.
Tempora nam SAPIENS oppportuniſſima SOLUS
Novit, nec tacitis utitur ille dolis.
Et, quamvis haurire diu videatur inani
Aure preces, vanum ne tibi finge metum.
Proximus auxilio eſt, cùm prorſus abeſſe videtur,
Penſat & Eventu proſperiore moram.
Si tamen uſq; capax fidei mens eſſe recuſat,
Fortiùs occulto nitere amore Dei.
Sint Ejus promiſſa magis rata firmaq; menti,
Omnia quàm carnis ſomnia ſtulta tuæ.

PRO CHRISTO ET PATRIA DULCE MORI.

Symbo-

Symbolum

NOBILISS. EQVITIS AVSTRII

Helmharti Kirchbergeri.

Delectet reliquos vivendi insana voluptas:
Pro Christo & Patriâ sit mihi dulce mori.

AD THEOLOGOS.

Este, docete Vnum, defendite fortiter Vnum,
Vno qui colitis Præside Sacra Deo.
Impatiens animus, cæca Ignorantia, præceps
Ambitio Cultus terna Venena Dei.

VINEA CHRISTI, PRO QVOlibet Theologo emerito.

Vinea, Christe, tua est Ecclesia, Vinitor Ipse es:
Est Comes ergo tuus, qui tua Sacra colis.
Sic ego Plantavi; sic magnus Apollo rigavit:
Incrementa Deus quæ dedit? astra dedit.

CHRISTO DVCE, COMITE CRVCE, PEDISEQVA VICTORIA.

Symbolum

M. CASPARIS STOLSHAGII.

Vita via est, dubio quâ currimus Orbe per Orbem.
Insidiosa Bonis, trita frequensq; Malis.
Quò se igitur vertat per aperta pericla Viator?
Tramite quo tutum conficietur iter?

Plena latrociniis sunt omnia, plena furore:
Continuanda via est omnibus una tamen:
Una, sed ad metam non unam: haud omnib. una est
Mens quoniam: sed me non timor ullus habet.
Te Duce, Christe, *teram* comite & Cruce *tesqua Viarum*
Invia: sub Duce sic, sub Cruce tutus ero.
Sic Victoria læta pedisequa ducet Alumnum
Ante triumphalem per loca victa thronum.
Cui Christus Dux est, cui Crux Comes, omnia vincit:
In Cruce sancta quies, in Duce certa salus.

PATRI SVO ὁμωνύμῳ missis quibusdam sacris opusculis.

En Nati Donum, Pater ô mihi carior ipsâ
Luce, recepturus plura, volente Deo:
Plura, Deus quidam si fecerit ocia nobis,
Sacra dein Versu liberiore canam.
Tu linguâ celebras, ego prædico carmine Christum:
O Nati studium par studiumq; Patris!

IN SACELLVM A MARTINO KINNERO exstructum.

Sum nova, sed Sedes Fidei sum pura vetustæ,
Sum Domus in laudes officiosa Dei.
Parva quidem: capio sed res ex æthere magnas,
Magnus & hîc habitat per sua Sacra Deus.

Ex

Ex me fit cœli veneranda frequentior Aula,
Namq; incorruptâ Numina laude veho.
Kinneri *pietas hoc me construxit in agro,*
In populumq; gravis solicitudo suum.
Quicunq; hic transis, dic: vivat Conditor Ædis;
Vivat & æterni Gloria Vera Dei.

IN GLOSSAM Iejunam.

QVorsum Glossa, Dei cum Vox sit plana? fefellit
Illa; sed hæc nunquã: Regula *Sermo Dei est.*

IN GAVDIA MARTINI.

QVis tum sperabat Martini gaudia, *quando*
Trux grassabatur pestis in omne latus?
Gratia, Christe, tua est: nobis est Vita superstes,
Et superest nobis gratia, Christe, tua.
Exsule fac redeant Martini *gaudia Morbo*
Sæpe, verecundo sitq; in honore Dies.
Sic quondam, purè deductâ ætate, sequantur
Gaudia Martini *gaudia Cœlicolum.*

VOLENTE DEO.

Symbolum Nicol. Reichelii, Aulæ Cæs. Familiaris, Viri amplissimi.

EX fatis pendent mea Vota: Vale improba Cura:
Vt potiar, patiar cuncta, volente Deo.

SORS MEA IN TEMPESTATE.
Symbolum

IACOBI KISLINGII;
Saltuarii Cæs.

NAm quid agam? mea sors in tempestate: natabo
Attamen, & Christus mox mihi portus erit.

HOMO VMBRÆ SOMNIVM.
Pind. in Pythiis.

DIc mihi, quid vacuũ magis est, quid inani' umbrâ,
Somnia quin Vmbræ Pindarus esse docet.
Tale quid omnis homo est, ut non jactare quis ausit:
Ecce hic est aliquid, nec quoq; nullus hic est.
Hæc est Fortunæ, Fato indulgente, potestas;
Illa repentinas versat ubiq; vices.
Sæpe fit umbra levis, paullò qui floruit antè,
Et subitò est aliquid, qui modò nullus erat.
Magna valet parvis, spem præter, & ima profundis
Permutare manu fata regente Deus.
Idem summa solet mutare frequentiùs imis,
Cùm quis concesso nescit honore frui.

HOMO NIHIL.
Symbolum

M. HEN. POLANI A POLANSdorff, Reipub. Oppavien. ab Actis.

TE nil, penè minus nihilo, esse, Polane, fateris:
Felix, qui tecum sponte fatetur idem.

Est

Est miser, & stultè miser, est hostis sibi, Metam
Quem super Officii Flatus inanis agit.
Exornare infame lutum quid ineptius auro?
Ecquid Mortales verius esse Lutum?
Ergo superciliis quorum ora, & corda superbo
Felle tument, nihil his stultius Orbis habet.
Quid contra Pietas humilis cognatius illis,
Qui nihil & nihilo se minus esse putant?
Perge alere hos animo sensus Henrice: *quod imâ*
Parte latet, tollit; deprimit alta Deus.

HOMINVM VITA.

PRincipium lacrimæ, lacrimæ sunt terminus ævi:
Pars media at qualis? quantula? tota Dolor.

PAVPERTAS NON PERTIMESCENDA.

NE sit dura tibi, nimiùm vel turpis Egestas:
Natus ut es, nunquam sic moriere miser.

SIC, QVI ERVDIVNT MVLTOS, vt Stellæ fulgebunt. Dan. 12.

Symbolum M. MARTINI MYLII GYMN. Gorl. Collegæ.

MVnia qui peragit commissa fideliter ævi,
Et petit à mundo præmia, vana petit.

In

In quibus est præter Speciem Pietatis, & artis
Nil prorsum, hos tanquam Numina mundus a-
Hos fovet, hos inter subsellia prima reponit, (mat:
His sua prostituit cuncta, propinat opes.
At qui omnem impendunt in publica commoda vitâ,
Plus quorum, quàm Frons, Occiput artis habet:
Hos ut vile genus fastidit gratia Mundi,
Sueta fovere malos, nescia ferre Bonos.
Ergo nulla Bonis hodie sunt præmia? si sunt,
Hei parca, & longo pulverulenta situ.
At capienda Ævo restant meliora futuro,
Quùm Mundi fuerint cuncta theatra cinis.
Tum demum divina pios Censura labores
Evehet, & Merces quodq; sequetur opus.
Tum, qui formarunt aliorum pectora dictis,
Stella coruscabunt ceu nova Luce novâ.
Erigite ergo animos vitæ morumq; Magistri;
Et tolerate æquâ mente laboris onus.
Vos omnes Vos ante alios Lux maxima cœlo
Ambiet, & demto gloria fine colet.
Lenta relinquantur fallaci Præmia Mundo:
Hic Vmbræ & Sordes: Lux ibi, summus honos.

ALITER.

MEns mea quid trepidas, quòd tot, quot tanta la-
Sunt devoranda tædia? (borum
Quis dolor inflammat, quæ te indignatio torquet,
Quòd non sequantur præmia?

Tolle

Tolle oculos, Ratio tibi quos dedit hospita, cælo;
Et tu tuos, Caput, evehe.
En velut ætherio scintillent lumina templo?
Ut stella spargat maximum
Parva jubar (per tot parvam intervalla locorum
Sit nuncupare fas mihi)
Quàm nitidus splendor, quamq; admiranda colorum
Per tot faces discrimina!
Sic quoq;, Qui erudiunt multos, tandem ætheris
Instar nitescent siderum. (orbe
Et mea mens trepides, si tanta est Gloria Merces?
Valete mundi stercora.

IN VTRVMQVE.

REbus nec mentem nec cristas tolle secundis,
Rebus in adversis nec tibi finge metum.
Possit in articulo qui res mutare secundas,
Possit & adversas, esse memento Deum.

IN SACROS AMORES.

Ioan. Rucardi, Viri, Medici, & Poëtæ boni.

QVis te pertrahit in sacros amores?
Quis, Rucarde, toros diserte in ipsos
Christi ducit amor Puellulæq;,
Sponsæ molliculæ, piæq; Matris.

Quá

Quá non sanctior est, beatiorq́,
Quá non castior est, venustiorq́,
Quá non cultior est, disertiorq́?
Quis? divinus Amor nisi, sacerq́
Fœcundi ingenii impetus: Phaleucia
Tot tu mellifluis, amore plenis,
Tot tu dulcisonis, lepore coctis,
Tot tu frugiferis, odore gratis,
Tot tu doctiloquis honore dignis
Sponsi Vota pii, piæq; Sponsæ
Risus, gaudia, Basiationes
Exornas celebras, legentiumq́
Mentes pertrahis in sacros amores,
Et solemnia Sacra Nuptiarum.
Ergo sanctior est, beatiorq́,
Ergo castior est, venustiorq́,
Ergo doctior est, disertiorq́
Te, propter studia hæc, Poëta nullus.

PATIENTIA.

SIs patiens, cùm te Fortuna fatigat, & urit,
Desine nec precibus solicitare Deum.
Si te trudit humi, quem nuper in astra locarat,
Cogeris & Christi ferre, referre Crucem:
Per mente impavidá, nec te Inconstantia flectat:
Tollere quem sapiens vult Deus, antè premit.
Res indigna homine est, Christi sibi sumere Nomen,
Et nil pro Christi nomine velle pati.

Multa

Multa docet constans Patientia, cuncta coercet:
Nil Patiens, Sapiens nemo Vir esse potest.

IN BILINGVES IN CONFESsione Fidei Christianæ.

SAncta velut Neutro genere orba est lingua: Bilinguis
Sic neq; Roma tuus, nec Viteberga tuus.

IN CAVPONAM SPLENDIDAM, & Templum lacerum.

QVid quæris peregrine? Dei delubra: maneto,
En ego, quam quæris, sum Domus Ipsa Dei.
Tune Domus Domini? Cauponam fortè putabam,
Quæq; ex adversâ stat regione, Sacram.
Erras: erro quidem: Sed miror deniq; quidnam?
Pulcrior est hominum quòd Domus Æde Dei.

FORNICATIONIS CONtagium.

AN nescis, Templum quòd sis sublime sacrati
Flaminis? hoc violans, nonne Deum sceleras?
Quòd si præcipiti tua Membra libidine fœdas,
In te ipsum peccas turpiter, inq; Deum.
Atq; ita mox Satanæ fis detestanda cloaca,
Qui fueras Sedes nuper amœna Dei.

MORES

MORES VLTIMI SECVLI.

Ad Franciſcum Virlingum, de ipſius Symbolo: Prudens Simplicitas, Simplex Prudentia.

SI faciem mundi videas, Franciſce, videtur
Quantivis precii: verùm odioſa loquor.
Eſto: odium pariat VERUM mihi nobile; verum eſt,
Hoc ſeclum quovis fœdius eſſe luto.
Si vis ergo dolos, ſi vis ludibria mundi
Vincere, conſilio nitere ritè Dei.
Sis prudens Simplex, *& erit converſio felix,*
Vt ſimplex prudens *inveniare Deo.*

DE IISDEM AD FILIUM DEI.

QVi tuis quondam, bone Chriſte, Servis
Regulas vitæ dederas tuendæ,
Nos clientelæ quoq; protegenti
Subjice dextrà.
Nam redemiſti nece nos eâdem,
Undè vexillo, Duce te, ſub uno
Dæmonis contra furias, & Orbis
Belligeramus.
Plena Res ſummi geritur pericli,
Vt ſit attentâ prece, mente cautâ,
Moribus caſtis opus, atq; ſenſu
Simplice cordis.

Hanc

Hanc tuos olim Famulos docebas
Regulam: nobis eadem tenenda est,
Qui tui verè perhibemur artus
Corporis esse.
Tempus intentat mala summa nobis,
Mors pharetratá furit arte, Turca
Ense, Styx undis, latus omne Mundi
Æstuat irá.
More Serpentum, Deus, ergo fac nos
Esse prudentes; sed & ut Columbas
Simplices: nostræ tua Vox Magistra est.
Optima Vitæ.
Hac Fides, Dæmon licet ima summis
Misceat, solá stat, & Orbis omnes
Vincit insultus prece, mente cautá, &
simplice sensu.
Christe, Cor simplex, pariterq; prudens,
Christe, Cor prudens, pariterq; simplex.
Spiritu sancto rege: sic ovamus
TE DVCE SOLO.

DE IISDEM.

HEi dolor! hoc turpi fas omne revellitur ævo,
Omnis prisca fides tollitur, omnis amor.
Cujus in auxilio fiducia maxima stabat,
Detrahit optatam, cùm tonat aura, manum.
Esto Anathema, Viro quisquis spem ponit in ullo:
Ecquis enim incerto tempore certus erit?

Fel sub corde latet; liquidum mel manat ab ore:
Qui sapis, attentâ mente caveto tibi.
Fide Deo stanti promissis; crede jubenti:
Nam per Eum nemo labe notatus obit.
Expertus fidensq; loquor: solamen ab ipso
Subvenit in dubiis casibus omne mihi.
A DOMINO me nullus homo divulserit unquam,
Qui me cunq; atro turbine casus agat.
Summa mihi intentet vel Amicus damna, vel hostis,
Nil moror, à nostrâ sit modò parte Deus.
Vivo tibi, moriorq; tibi Pater: assere votum,
Nec sine confundi Spemq; fidemq; meam.

BONIS OMNIA BENE.

Nil homini, sequitur pia qui vestigia Christi,
Evenit, est summo quod nisi fine Bonum.

ALITER.

Quem Christo Pietas non fallax mancipat, illum
Qualiacunq; manent fata, beata manent.

ALITER.

Dulce capit lucrum, Christi qui fidus alumnus,
Quicquid enim perfert fortiter, omne Bonum est.

VEL:

ALITER.

QVi Christo sic credit, ei ut credat quoq; Christus,
Is credat, quicquid sustinet, esse Bonum.

NATVRA AVICVLARVM.

OMnis Ovis pavitat, bene ruminat, audit acutè,
Est patiens, simplex, sobria, pacis amans.
Qui non vis homines imitari, Bruta sequaris:
Sis ut Ovis Christi, fac imiteris ovem.

POENITENTIA.

RArò vera, petunt animum quæ tædia serò:
Sera tamen non sunt, si modò vera satis.

ALITER.

SI sera pœnitentia
Est vera, pol rarissimè:
Si vera, neutiquam tamen
Est sera Pœnitentia.

ALITER.

QVæ peccatorum surrepunt tædia Menti,
Si sunt sera nimis, sunt quoq; vera minùs.
Si tamen in melius convertunt Munia vitæ,
Si sunt vera nimis, sunt quoq; sera minùs.

DE MARIA MAGDALENA.

Quæ Meretrix fuit antè, suum scelus ipsa fatetur,
Et dolet, & Christi credula poscit opem:
Credula consequitur; Tu te, quem crimina torquent,
Nosce, fatere, dole, crede; beatus eris.

VOTVM MECOENATI SVO Domino Guil. ab OPPERSDORF L. Baroni, in Ingressu anni M. D. XCIII.

Rursũ est, Christe, vetus Menses emensus hic annus,
Iamq; iter astra capit per duodena novus.
Si valuere preces unquam, & Custodia Cœli;
Nunc opus est precibus, nunc ope, Christe, tuâ.
Vnus tu cernis, quæ sors tristissima rerum:
At nos nil oculis prospicimus patulis.
Nullum hostem, nisi jam prænsantem colla videmus,
Nullum ignem, nisi jam limina nostra voret.
En latus ad nostrum Scythico cadit Hungarus ense,
Nostra Mahometes viscera fauce quatit.
Infer te Medium, quod tu nisi feceris unus;
Nos miseras, nemo est, qui tueatur Oves.
Hostibus in mediis Dominatu fungere, sanctum
Si servare tibi Semen ab hoste cupis.
Sed cupis: ergo ruet tua nunquam Ecclesia prorsus:
Te servante, colent qui sacra, semper erunt.
Ergo Tui posthac etiam tibi cura GUILELMI
Sit, precor, & cara Conjugis, & Sobolis.

Huic

Huic succeſsibus hunc annum veteraſcere fauſtis
Chriſte jube, ut porrò ſerviat ille tibi.
Hei miſeri in pravos homines, in tempora prava
Incidimus! Nemo Te ſine tutus erit.

IN FINEM DIEI.

Labitur iſta dies? quæ craſtina? neſcio; ſolùm
Hoc ſcio, quòd curæ ſim, bone Chriſte, tibi.

IN FINEM CVIVSCUNQUE Anni.

Præterit hic annus, venientis neſcio fata:
Hoc ſcio, Te curam, Chriſte, fovere mei.

SVSPIRIA AVTHORIS ingraveſcente morbo ſuo, ex Pſalmo 39.

Nil ego, magne Parens, imò ſub pectore verſo,
Quod non veſtiges cognitione tuâ.
Scis, quoties claudo, quotiesq; ſopore reſolvo
Lumina: Tu latebras mentis inire ſoles.
Omnes tu fibras, corq; omne examine torques,
Rimarisq; animi ſcita profunda Deus.
Sive eo, ſive cubo: tu me comitaris, & omnes
Proſpicis, ambiguo quas pede carpo, vias.
Nil efferre ſono ſcit lingua, ſedetq; labellis,
Quam non prævideas, vocula nulla meis.
Ergo quid eſt reliquum, niſi quò dictante miniſtres
Flamine divino Verbaq; resq; mihi?

Fac igitur, certò statuam, quòd terminus ævi
Fixus ad extremam sit maneatq; diem.
Fac animum inducam, quòd in his sim sedibus hospes,
Tentandumq; aliò, per freta, restet iter.
Tu mihi te comitem vastum, Deus, adde per æquor,
Naufraga ne dubiis mergar onustus aquis.
Ah ne me, ne me, ne desere maxime Rector:
Erro vagus sine te, Te Duce, certus eo.

DOMINICA ORATIO.

SAncte Pater, qui templa habitas flammantia cœli,
Consona fac precibus pectora nostra piis.
Da, sancto, Pater alme, tuum veneremur amore
Nomen, ut & Sanctos nos tibi reddat Idem.
Adveniatq; tuum nostra in præcordia Regnum:
Rex Ecclesiolam magne tuere tuam.
Nos tua morigeros faciat divina voluntas,
Cœlicolum quales efficit illa choros.
Suppedita victum, quæcunq; & postulat usus:
Arceto morbos, bella, famemq; procul.
Da veniam culpæ: fac nos sacer ignis adurat,
Mutuus ut nostris cordibus insit amor.
Ne patiare dolis nos irretire fureres
Dæmonis: una fides reprimat hostis opus.
Morte repentinâ ne præcipitemur, ab omni
Corporis ac animi dona tuere malo.
Nam potes: Imperium divina potentia firmat
Omne tuum: tibi sit gloria, laus, & honor.

ALIA

ALIA SVSPIRIA.

Viva tuis ut sim Deus ignibus Hostia sancte,
Vel me vivifica, vel quoq; mortifica.
Ille tibi vivit, sibi qui moritur: sibi vivens
Demoriturq; tibi, demoriturq; sibi.
O quantum in vita positum! termaxime IESV,
In morte & vitâ sim tuus, esto meus.

ALIA.

CHriste, fudisti Cruce qui beatam
Pro meâ pendens animam salute,
Per tuam mortem moriturus oro
Annue votis.
Ecce supremus supererrat ossa
Halitus; vires abeunt, calorq;
Deficit: vitæ morientis adsunt
Omnia signa.
Porrigas ergo miserate dextram
Rex tuo Fratri, Famulo, Clienti,
Neu tuam Massam teneram supremo
Defere fato.
Gratiæ Patris memor esto, mortis
Et tuæ: vitæ sed iniquioris
Immemor nostræ: pudet eius actæ;
Solve reatum.
Solve Rex Regum, mea Spes, Salusq;,
Daq; felicis fruar arce cœli;

Pœne pro bello, furiisq; Mundi;
Pro nece, vitâ.
Sum tuus, vivam moriarve totus:
Ergo nec vitæ timeo, nec ictus
Mortis; invito Satanâ triumpho
Mortis in actu.

DIALOGISMVS AD FILIVM DEI, factus inter Equitandum, summâ consternatione, propè oppidum Moraviæ Rez, post horribilem terræ motum, XV. Octobr. hor. XI. merid. Anno 1592.

NAm quid ego? miserand⁹ homo: quo nat⁹ in Orbe?
In Mundo immundo? quis locus? Arca luti.
Hac quid ago? telam peccati texo, retexo:
Quæ Merces? eheu! Mors, Satan, Ira Dei.
An spes nulla super? Christus Spes vna Salutis:
Sat mihi: Peccatum, Mors, Satan, Ira vale.
Christe tibi capiti, Tibi palmes adhæreo Viti:
Iam vel cuncta ruant, sim modò, Christe, tuus.

AD EVNDEM:

Lusus Grammaticalis.

CHriste amo *te*, doceo, lego & audio, *te* fero *Christe*:
Vt' sis ergo Meus, Sum, Volo, Fio, *tuus*.

FIDES

FIDES HELVETII Morituri.

Dvxerat à teneris Scelerum ad fastigia vitam
Swicervs, *haud curans, quid Deus, atq; Satan?*
Hunc consanguinei moriturum hortatibus urgent,
Insistat tandem quò pietatis iter.
Quærenti ostendunt Fidei *per singula sanctæ*
Membra viam: monitis annuit ille bonis.
Audit, & assensu capita approbat omnia: at unum,
Vita quòd exstinctis sit reditura, negat.
Putrescunt, inquit, qui me genuêre Parentes:
Mortua qui possit vivere nostra Caro?
Ergo etiam huic capiti victus pietate Suorum
Ipse Magistratus mandat habere Fidem.
Tunc ille: haud unquam contemsi jussa Senatus,
Hac igitur morem jam quoq; parte geram:
Exitus ipse tamen nos (tantùm advertite) fallet:
Prò admirandæ Credulitatis opus!

SALOMONI GESNERO Doctori Theologiæ, in illustri Academiâ Vvitebergensi.

Te salvere jubet, quem vita Scholastica quondam
Iunxit amore tibi, junxit & arte tibi.
Quis Salomon? Salomon, *nomenne agnoscis Amici,*
Cuius in obscuro Musa gemit Cerebro?
Ille tibi nuper partos gratatur honores,
Vt memorem videas nominis esse tui.

Insuper ille minùs tenui te munere donat,
Productæ ut habeas pignus Amicitiæ.
En votum: Sis ô Salomon, *Vas utile, purum,*
Et firmum Christi: fac, cane grata Deo.
Hoc tibi sincero Frencelius *optat amore,*
Cuius q. Ingenii quo pia dona colit.

IN CONTINVAS PLVVIAS.

Ad Vvenceſ. Scheliha à Rzuchow, Ducatuum Oppol. & Ratibor. Cancellarium.

HVuc, quem post pluvias tot Lux Thœbæa sere-
Opto tibi faustum, Vvenceslaë, *diem. (nat,*
Spes bona: cessarunt lacrimæ: nunc ridet Olympus:
Numina nos vultu liberiore vident.
Ira Dei justa est, sed non durabilis: Illi
Non mala mens, bona Mens si modò nostra foret.
Audiet is posthac gemitus & vota piorum.
Servabit q. suum semper in Orbe gregem.
Respice nos IESV mitissime: discute nubes,
Daq. serenato Sole deinde frui.
Sis facilis segeti, pecori, rebus q. creatis
Omnibus: arbitrio fata reflecte tuo.
Nil nostrum: manibus quæ subsunt omnia nostris,
Sunt tua: Christe igitur dona tuere tua.
Tandem post tenebras & fata hæc tristia nobis
Æternâ liceat luce domoq. frui.

DE

DE VITÆ EXITV.

Vox Beati & Impii.

Vtriuſq; hæc:

VIvo; ſed eſt vitæ mora non mihi cognita: mortē
Oppeto; ſed Mortis me brevis hora latet.

BEATI.

DIſcedo, & quò me ducat via regia, novi:
Miror, triſticiæ me dare poſſe locum.

IMPII.

MIgro aliò: ſed quò? trahit hei dubitatio mentē:
Miror, lætitiæ me dare poſſe locum.

IVDICIVM FILII DEI extremum.

DE BEATIS.

SÆpè quid hei duro nocet indulſiſſe dolori,
Et Chriſti longam ſuſtinuiſſe Crucem?
Ecce venit tandem non emoritura voluptas:
Felix, qui infelix hac ratione fuit!

DE IMPIIS.

FRena quid in vetitos juvat extendiſſe furores,
Et mala pòſt demto maxima fine pati.
Irruit ecce dies vindictæ addicta ſupremæ:
Hei miſer, iſta dies cui venit ante diem!

EXI-

EXILIVM TELLVS, Cœlum Patria.

EXsilium tellus, Mors Ianua, Patria Cœlum,
Dux Christus, Christi faxq́ comesq́ fides.
Hoc Duce carpe viam, face prælucente, statimq́.
Hospes eris cœli, qui miser Exul eras.

HOMINI QVID EXpetendum.

APt optanda Bonis est Vita, dolore remoto,
Aut Mors, quæ reprimit sola doloris onus.
Nempe mori non turpe, mori sed turpiter, est Mors:
Elige: velle tuum est vivere, velle mori.

M. IOANNI SIMONI, Ministro Verbi divini, de Mutatione loci.

VIta quid hæc? rigidum est iter, Exsiliumq́ Piorum,
Inde his Exsulibus flebile nomen inest.
Nulla Avis est, Nidũ frustra quæ transferat: at Sors
Sæpe hominem in varias trudit iniqua vias.
Quid tum? fata vocant pia quò nos cunq́, sequamur:
Non omnes uno vult Deus esse loco.
Sic te aliò vocat Ille, SIMON; succedere mandat
Sic aliumq́ tibi: discat uterq́ sequi.

Ipede

I pede felici : Duce non hoc non potes esse
Tutus : erunt votis fata benigna tuis.
Vult sua Te Vineta aliis pòst Vinitor oris
Excolere : hæc age laus, hæc tibi parta salus.
Exsulis esne Comes, via si tolerabilis ? Exsul
Faustus es, es Christi : perge, beata via est.

ASPIRANDVM AD Cœlestia.

Quisquis agis vitam, vitæ memor esto futuræ :
Quò minimè credis tempore, finis erit.

FINIS SEMITÆ PRIMÆ Sacræ, in hac Sylvula.

Epigram-

EPigrammatum

SALOMONIS FRENCELII SYLVVLÆ SECUNDÆ

SEMITA SECVNDA, COMMVNIS.

AD LIBRVM.

ERgo, care liber, periculosum
Nunc intrare iter ad novos Patronos,
Qui te suscipiant, ament, legantq;,
Audes? tutus eris quidem sub illis:
Verùm, ne via te, caveto, lædat.
Si quis fortè tibi Vir obviabit,
Explorare voletq; multa, risum
Finget, verba dabit, jocos ciebit;
Noli fidere; fraus latet, latetq;
Fel sub melle: latent calumniosi
Ictus: tu brevis esto, cùm loqueris:
Vna voce jubeto eum valere.
Nimirum bene si valebit ille,
De te vix malè sentiet viator.

AQVILA

AQUILA CÆSARIS ET IMPERII ROMANI.

VT Leo Quadrupedũ Rex creditur esse Ferarum:
Sic Aquila omnigenas eminet inter aves.
Rex est ille potens, Regina potentior hæc est,
Nubila quæ pennis tranat opaca suis.
A Tonitru quovis est insuperabilis ictu,
Solaq; fulgorem Solis obire valet.
Quàm benè Romano Regina hæc convenit Orbi,
Divina Cæsar quem moderatur ope!
Is virtute acri fortunæ plurima transit
Nubila, & hinc famam finit utroq; polo.
Non timet adversas, quamvis obnoxius, auras,
Obtutu tolerans aspera quæq; suo.
Quid blateras ô Musca fugax? Aquila Ipse supre-
Cæsaris Ausonii est Imperiiq; DEVS. (mus

IN ENNEADEM IMPERATORUM Romanorum ex serenis. Familiá Austriacá.

ESto mihi Sol testis, & ô vos cætera cœli
Lumina, quodnam aliud Sidus in Orbe fuit;
Lumen ademisset quod vobis (dicite verum)
Quàm Iubar Austriacæ grande potensq; Domus?

Dicar

Dicar adulari? sed quod fulgentius usquam,
Splendidius toto quod micat Orbe decus:
Quàm Gens illa, novē quæ protulit una Monarchas,
Et dare quæ potis est tot, vegetante Deo?
O si sic patitur Mundi inclinata senectus,
Annuite ô votis fata secunda piis.
Enneadem geminate sacram: Spes una sub Vno est.
Nemo roget, quis sit? cuncta tacendo facit.

IN EANDEM.

Quicquid vel Ratio dictet, vel luminis usus,
In mundo Soles esse probabo duos.

ARCHIDVCES PRINCIPES AVstriacos naturá clementes esse.

Turba novercantis depressa Tyrannide Sortis
Astra fatigaret cum gravitate precum;
His Dea per nubē CLEMENTIA *vocibus usa est:*
Duret ùt Austriacum Stemma, rogate Deum.

AD RODVLPHVM II. CÆSAREM, oblato libello Supplici.

Mea Salutis hoc interest,
Vt ipse prudens pellegas
Hunc supplicem Libellulum.

Rodul-

RODVLPHE, *Cæsar maxime.*
Quòd si, me velut Spes fovet,
Non hoc mihi negaveris;
Quis me futurus lætior?
Quis me futurus faustior?
Quis me futurus gratior?

AD EVNDEM.

SI *vacat, hos paucos, ô Cæsar, pellege versus;*
Oblectet qui te, forsitan unus erit.

AD EVNDEM.
DE ENNEADE AVSTRIACA.
à VVencesl. Ottero descripta.

MIrarisne *brevi, Cæsar, congesta papyro,*
Quorum vel Mundus non queat esse capax?
Aggreditur magnum, fateor, præconia Gentis
Austriacæ quisquis carmine tentat, opus.
Qui tamen hoc tentat, præstatq; RODULPHE, *Poëta*
Nonne tuo, Cæsar, dignus amore foret?
Ecce hanc Enneaden, minimis quæ maxima tractat,
Plurima quæ paucis: hoc reor artis opus.
Nil hîc obscurum: brevitas pleniſsima nervis:
In Verbis lumen, gratia Rebus ineſt.
OTTERUS *potuit tuus ecce hoc Subditus: & non*
Ille tuo, Cæsar, dignus amore foret?

Summa equidem summo debentur dona labori:
Sed quod amore tuo majus in Orbe Bonum?

PRO SERENISS. PRINCIPE MAXIMILIANO Archid. Austriæ El. Po. Reg. in prandio recitatum.

CVm tibi per nomẽ DUX MAXMILIANE *sit omen,*
Quid mirum? si te maxima fata manent?
Maxima præsserunt te fata, & Vota negantûm:
Maxima te extollent fata, Volente *DEO.*

PRO PATRIA HONESTVM. Symbolum ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS HENRICI IULII Ducis Brunsuic. & Lunæburg. &c.

QVidnam pro Patriâ *vocas* Honestum,
IULI HENRICE, tuæ Columna Gentis?
Cùm res postulat, arma ferre, honestum;
Æstum ferre, gelu, famemq;, honestum;
Somnos ex oculis fugare, honestum;
Vim profundere opum vel omnem, honestum;
Objectare caput periclo, honestum;
Vitam deniq; vivere omnem, honestum;
Imò occumbere, si necesse honestum
Pro *cará* Patriâ *Deo jubente.*
O dulcis PATRIA! *ô suâve* HONESTUM!

ALITER.

ALITER.

SI quid in humanis est usquam rebus honestum,
Vivere pro Patriâ est, pro patriâq; mori.
Pro Patriâ mala quæq; pati res Principe digna est:
Est Princeps, quisquis principe digna facit.

ALITER.

TVrpe, quod in Patriæ cladē tentatur: honestum
Pro Patriâ *forti pectore cuncta pati.*

AD EUNDEM
POTENTISS. ET LITERATISS.
Principem Henricum Iulium.
QVERIMONIA POESEOS.

O ætas ingrata, sacros quid spernis honores?
Quid calcas stupido dona colenda pede?
Olim summa fui Regumq; Ducumq; voluptas:
Ebria nunc probris me beat Aula feris.
Nemo olim sumsit de me sibi nomina, qui non
Ingenio poterat me penetrare suo.
Nunc stipem per me sibi Stellio quæritat omnis,
Prostituitq; vago carmine Dona Dei.
Olim suave meum fuit & venerabile nomen,
Nunc nil abjectum, nil & inane magis.
O ætas ingrata, sacros quid spernis honores?
An nescis genio Numen inesse meo?

ALITER AD EVNDEM.

Conquerar? an ſileam? quòd eis fortuna favorem
Abnuit, Aonii qui Ducis arma gerunt?
Tempus ubi eſt, Muſas Regum quo cura fovebat,
Inq; ſuo precio parva papyrus erat?
Tempus ubi eſt, doctâ quo nil precioſius arte,
Inq; loco primo carmen & Author erant?
Tempus ubi eſt, donis poterat quo creſcere felix
Ingenium, & laudes amplificare Ducum?
Tempus ubi eſt illud, quo ſacro carmine Vatum,
Eſſe putabatur gloria prima, legi?
In quos contorquet fortuna ferociùs haſtam
Invidiæ, quàm quos Palladis Vmbo tegit?
Summam ſumma famē patitur nunc fama, nec arte
Quicquam Heliconiadum vilius Orbis habet.
Ah ubi Mecænas, ubi nunc Auguſtus? uterq;.
Nunc laudare poteſt, non numerare poteſt.

Ἀντίκρισις POETÆ, ad Querimoniam, DE EODEM PRINCIPE.

O mea ne prorſus mentem abïjce, Mater amica,
Semper erunt ſtudiis dedita corda tuis.
Diva, querela quidem nimis eſt tua vera; ſed audi:
Artes terra tamen quælibet arte fovet.
Dii ſudore ſuas vendunt cum fœnore merces,
Fœnus id æternos durat ad uſq; dies.

Si

Si quandoq; tibi dat quædam Terra Patronum;
Quid non? de multis millibus unus erit.
Talis Pieridũ Decus OPPERSDORFIUS aureũm,
Mecœnas, imò Rexq;, Paterq; meus.
Talis erit, jamq; auspiciis felicibus ille est
Princeps, Teutonici Gloria prima Soli.
Ecquis? Ateſtino GUELFUM ſe ſanguine jactans,
Dux Gregis HENRICUS IULIUS Aonii.
Carmen amat, carmen cenſet, diſcitq;, docetq;,
Exſtimulari vult, exſtimulatq; alios.
Principis ô rari Exemplum! quid dia Poëſis
Queſtibus indulges? ARA reperta tibi eſt.
Hanc flexo venerare genu, & votũ offer, & ipſam
Deniq; te. ſed quid poſt? cane, ſi qua potes.
Arriget argutas HENRICUS IULIUS aures:
Dixi. ſi qua canes, non niſi pura canas.

IN EIVSDEM PRINCIPIS Effigiem.

HOs oculos, hæc fert HENRICUS IULIUS ora
Lumen Ateſtinæ Spesq; ſuprema Domus.
Lineolis vultus animi Ornamenta volebat
Pictor adumbrare expreſsiùs: hujus opus
Vidit, & Artificem eſt affata Minerva: quid audes?
Ingeniumne tuá Principis arte capi?

IN LEONEM S. BOEMIÆ REGNI.

Ecqua, Vladislavs quòd pro Iovis Alite signum
Bojemis posuit te, Leo, caussa subest?
Caussam nemo petet, Tua cui Natura, simulq;
Tam magnæ virtus cognita Gentis erit.
Bojemis validum pectus, proceraq; pulcrè
Forma, oculorum acies ignea, fronsq; patens.
Bojemis vestita comis & Martia cervix,
Belligeræq; manus, intrepidiq; pedes.
Bojemis mens est audax, sublimis, ad iram
Tarda, sed hac vehemens, cauta, animosa, ferox.
Unde, Leo, huic tantæ tua vis est insita Genti?
Fallor? an astro quòd subjacet illa tuo?
Quàm bene terra iaces uberrima! quàm bene Regis
Consilio arguti stemma Leonis habes.
Magnos magna decent gestamina, parvaq; parvos:
Tu signo haud poteras nobiliore frui.

IN PRAGAM TRIVRBEM.

Reddita marmorea est Laterum strue condita quondam
Per me Praga: pii vox erat ista Dvcis.
Quis tantus? Cæsar, famam qui terminat astris,
Carolvs augusto nomine Qvartvs erat.
Hæc tibi laus hodie manet, æternùmq; manebit,
O Bojemorum Carole dulce decus!

Ne

Ne tamen & nostro invideas sua dona RODVLPHO,
Attingit qui te sanguine, mente refert.
Si nunc extollas sacrum caput aggere terræ,
Atq; oculis Pragam contueare tuam:
Publica privatis si juncta palatia tectis,
Fortunas populi si videas q; tui:
Fortunate Nepos, dices, mea Vita RODVLPHE,
Quæ tibi tam genium fata dedere bonum?
Per me marmorea est hæc olim reddita Praga;
Aurea sub sceptro facta, RODVLPHE, tuo.

IN BIBLIOTHECAM CÆSARIS Viennæ, pro eiusdem Præfecto HVGONE BLOTIO, I. C. Viro CL.

CLausa malis, adaperta bonis ego Ianua, donec
Quid te velim scias, rogo
Siste pedem, quisquis tanto tu dignus honore es,
Vt Cæsaris Librariam
Ingrediare domum; dignum te censeo summâ
Fide: ergo gressum promove,
Atq; ex Cæsariis cape delectamina Libris.
Sed heus, relinque Servulos
A tergo, veniamq; mihi da tale petenti:
Invitus, expertus peto,
Quod peto, tu libris tua pascas lumina, quisquis
Es dignus Domo Cæsaris.

Servis mens brevis est, sunt pallia longa, manusq;
Longæ Malis, breves Bonis,
Sic ego non Servis, Dominis sed servio doctis;
Sed doctis, qui simul boni.
Custodis securam mei sic consulo Famæ,
Ne damna det Calumnia.
Serve mane, Domine ingredere, & quod Cæsaris
Memento sanctum Cæsari. (*est, id*

AD RODVLPHVM II. ROMANOR. IMPER. VNG. BOEM. Regem, &c.

In Bohemaida Pantaleonis Candidi.

Sunt Regum specula Historiæ, quibus omnia passim,
Quæ fugienda sibi, quæ facienda, vident.
Austriacæ Cæsar divo sate sanguine Gentis,
Cujus ad Imperium terra Boëma tremit:
Si res Austriadas, Bojasq; revolvere regni
Cura sinit, speculum hoc intueare novum.
Sic arridebit, sis ut dicturus, id ingens
Pantaleonis opus Pantaleonis opes.

AD REVERENDISS. PRINCIPEM ac Dominum, Dominum ANDREAM, Episcopum VVratisl.

IN DUAS AURI MASSAS FODINIS Silesiæ ad Oppidum Zigmantel erutas.

Omnis

OMnis ut extremo Mundi Structura fatiſcit
Cardine: ſic rerum deficit alma Parens.
Hoc quò verius eſt, tantò magis, aſpera nuper
Quæ tibi terra tulit, munera miror ego.
Nempe duas auri ſolidas cum pondere maſſas
Inſolito, miris progenitasq; modis:
Quas manus Artificis fingendo imitarier auſit
Nullius; ô magni Vis ratioq; Dei!
Vidit, & obſtupuit Cæſar ſacer ipſe, nec ullum
Nobilius ſeſe dixit habere Bonum.
Hæc tua Sors, tua Laus Antiſtes inclite, Donum
Numinis, auſpiciis omnia cujus eunt.
Spes bona! dona duo: numero Deus impare gaudet:
Forſan terna tibi, vel quoq; plura dabit.

DE IISDEM.

QVis vires, Natura, tuas ediſſerat omnes?
Nil in te, quod non permeet aura Dei.
Quænam verſicolor Maſſa hæc? quis Nidor amœnus?
Quæ forma? ex quali ſemine? cujus opus?
Infectum, ſolidum tamen aurum hoc ecce Metallum,
Quod tulit Elyſiis rupta fodina jugis.
O genitabilis, ô terræ formoſa Propago!
O admirandum cuncta Creantis opus!
Arte laborabit quis tale? reſurgat Apelles,
Mulciber huc redeat, Phidias ipſe Senex.
Mirabuntur opus Naturæ; dextra ſtupeſcet,
Faucibus hærebit vox, oculiq; trement.

O Cœlum da terræ aliquid : tibi sidera lucent
Aurea, nec desunt aurea tecta Solo.

AD EVNDEM ILLVSTRISSIMUM Præsulem.

ESse quid, Andrea, dicam hoc, clarissime Præsul,
Viscera tanta tuo nunc adaperta solo,
Exonerant auri insolito quæ pondere massas,
Cæsare digna sacro munera, teq; simul?
Omen inest, Princeps ô fortunate, secundum :
Astra illic faveant, hîc tibi rastra savent.

VOLVPTAS EXITIVM.

SPerne Voluptates, sequitur quas Assecla Mœror:
Spicula supponit mox, ubi mella tulit.
Est omni precio majorq; minorq; voluptas :
Hanc nihili facies, si generosus homo es.

ANAGRAMMATISMVS.

IACOBVS CVRTIVS à Senftenau.

An tu is? cur? ob jus : favet, canes.

INteger est vitæ, sapiensq;, ccpaxq; Triumphi,
Quem non Vis, sed Ius evehit, atq; beat.
Ille suam jactet laudem : sed fronte modestâ;
Ille Deo grates pectore, voce canat.

An

An tu Is, *Curtiꝰ imòꝰ* cur? objus: *hoc* favet *æquo:*
Grates ergo Deo pectore, voce Canes.

Nuncupatorium
ILLVSTRISS. DOM. DOM. GVILIELMO VRSINO de Rosenberg, S. Boemiæ Regni Burggravio, &c.

NOndum oculis mihi visus eras Vrsine, *Boëmi*
Gloria prima Soli:
Quando Fama meas complevit sæpius aures,
Talibus usa sonis:
Guilelmus *Latio* Vrsinus *cognomine, Princeps*
Sanguine, Gente, Bonis,
Ille voluptati summæ sibi ducit, honorem
Præcipuumq; putat;
Artibus ingenuis, rectèq; colentibus artes
Ferre Patrocinium.
Propterea insigni te complectebar honore,
Nondum ubi visus eras.
Nunc ô Mecœnas Musarum maxime salve,
Atq; faveto mihi.
Ecce Poëma tibi, Princeps, inscribo, meorum
Primitias Operum.
Accipe, ama, cura; nec dedignare Poëtam
Mentis amore tuæ.
Te capient hujus Bonitatis tædia nunquam?
Perge fovere Bonos.

Princi-

Principibus laus ista Viris dignissima: perge
Ergo fovere Bonos.
Sicq; superstes eris Mundo post funera: Merces
Tanta parata tibi.
Non vixit, cujus moritur cum corpore fama;
Vixit at ille, Deo
Qui vixit, Patriæ, sacrasq; colentibus artes,
Vivit & in tumulo.

MECOENATI SVO PRIMO optimo, Ill. Dn. Dn. Baroni Guil. ab OPPERSDORF, &c.

CArminibus celebrat Maro Mecœnatis Amorem:
Laudibus AUGUSTI *pagina nulla caret.*
Versibus hoc doctis numerosus Horatius ornat:
Augusti nomen linea prima notat.
Sed mihi tu major sis Mecœnate quòd omni,
Nominibus gaudet Musa, GUILELME, *tuis.*

κλίμαξ

DE PACE.

παλίνδρομος.

DIvitias Regina parit pax optima rerum:
Divitiæ fastum corde tumente ferunt.
Fastus probra parit, Lis probris, Lite movetur
Bellum, bellum omnes protenus haurit opes.

Pauper-

Paupertas humilem facit omnibus obvia mentem:
Mens humilis pacem, paxq; reportat opes.

SVPERBVS STVLTVS.

OMne superbum animal stultum est, stultum omne superbum:
Quid sit homo, quæris? dic mihi, Quid Matula *est?*

AVDI ET ALTERAM PARTEM.
πρὶν ἀμφοῖν ἀκροάσθαι.

SI qua ferenda tibi sententia, quisquis es, aures
Divide, Iudicium nec celerato tuum.
Quin suspende fidem, quanquam dignissimus omni
Ille fide est, primus qui tibi verba facit.
Vnius una auris pateat tantùm; altera caussæ
Alterius: quid si dignus & iste fide?
Quisquis inauditâ sua fert suffragia parte,
Æquum si statuit, non tamen æquus erat.
Sæpe fides, ubi nulla fides sperata, vicissim
Nulla, ubi multa fides visa subesse, subest.
Ergo suam hic Caussam dicat, sed dicat & ille:
Tu qui audis, aures scito tibi esse duas.

IN

In Effigiem HENRICI RANZOVII, REGIS Daniæ in Ducatibus Slesvici, Holsatiæ, ac Ditmarsiæ Gubernatoris, &c. quã ipsi Authori miserat.

Illius Effigies hæc, cujus fama serenam
Solis utramq; Domum transvolat, astra ferit:
Mira tot ingenii summi monumenta, tot Vrbes,
Totq; Arces structæ cui peperere decus.
Immortale decus, decus omni majus honore:
Quem latet HENRICI gloria RANZOVII?
Per Iubar hoc per se præclara inclaruit Orbi
Nunc magis atq; magis Ranzoviana *domus.*
Aspice fulgentes oculos, heroicaq; ora,
Frontem altam, & plenas Numine lineolas.
Si taceam nomen, facies quæ regia dices?
Nec mirum, Regi proximus iste suo.

IN EANDEM.

Hic Est Nimirũ Regum Ingens CVrã Suorum,
RArus Naturæ SOlertis Vestigator: (Est
En QVæ Ejus Species? HOLSatia TVta SubILLO

PRIVS CONSILIO, quàm armis.

Quàm ferro pugnes, & quàm convicia jactes,
Omnia consiliis experiunda priùs.

Expende

EXPENDE.

VIs hominis nomen magnum atq; illustre tueri?
Expende illustri pectore, quicquid agis.
Nam res quisquis agit, nec quorsũ agit has, expẽdit:
Quòd sit homo, certè nescit, egetq; hominis.

EMBLEMA PRVDENTIÆ.

QVòd mihi forma biceps, an non Prudẽtia dicar?
Quid ni? non quatuor lumina, mille mihi.

IN VIOLATOREM LITERARUM suarum.

LItterulas toties violas qui, perfide, nostras,
Iulia lex statuat quid tibi, sciſne? taces.
Dicam equidem: infames evellere mandat ocellos,
Indignumq; omni censet honore caput.
Eruat ergo tuos seu dirus Tortor Ocellos,
Seu Corvus, quantus quantus es, es Nebulo.

IN INSIGNIA ILLVSTRISS. DOM. DOM. VVOLFGANGI ROMPFF, L. Baronis à VVülros, in VVeitrach S. Cæſ. Majestatis Consiliarii & Camerarii supremi.

STella quid, & triplex cassis, foliumq; triforme?
Omnia Virtutis sunt monumenta tuæ.

Munere

Munere Cæsario clares, doctoq; vireſcis
Ingenio, verſans nocte dieq; Libros.
Quod ſi non virtus, VVOLFGANGE, obnoxia morti eſt,
Dic tua quo poterit tempore Fama mori?

IN INSIGNIA ILLVSTRIS. DN. DOM. GUILIELMI DE RORENBERG Vrſini, Cæſ. Conſil. intimi, & ſupremi Regni Boëmiæ Burggravii.

CVr Roſa purpurei perfuſa liquoris odore
Stemmatis eſt ſignum, magne GUILELME, tui?
Cauſſa ſubeſt jucunda: equidem breviuſcula pulcræ,
Quæ nova manè, ſenex veſpere, Vita Roſæ eſt.
Sed decerptæ tamen genuinum ſervat odorem,
Quo tandem fuerit cunq; repoſta loco.
Quid? quod & in varios patitur ſe vertier uſus,
Vt decus, ut cibus, ut ſit medicina ſimul.
Sic Roſa non vitam, ſed vitæ munera ſignat,
Quæ rubet in clypeis tota vetuſta tuis.
Florida perpetuum Virtus tibi ſpondet odorem,
Illa tuos quondam nobilitavit Avos.
Et tu conſilio, & mirando flumine linguæ,
Priſca Boëmorum jura fidemq; tuens
Nonne diſerte Heros, aliisq;, tibiq;, tuisq;
Es cibus, es decus, & tu Medicina ſimul?

Floreat

Floreat ô nomenq; tuum, felixq; Rosetum,
Digne Senex tali nomine, digne Rosá.

DE VRSIS EIVSDEM.

Quærere plura juvat: dextrá lævâq; minaces
Cur Vrsi cingunt Stemma Guilelme, tuum?
Scilicet Vrsinûm, *latè quos Itala jactat*
Terra Duces, ego sum sanguine cretus, ais.
Ergo nihil miror, quòd sermo, gestus, Imago,
Omniaq; in te sunt principe digna Viro.

DE MISSO SIBI AVREO Argenteoq; Munere:

Ad eundem Illustriss. Principem GUILIELMUM VRSINUM DE ROSENBERG.

Vos, ô Poëtæ, Mecœnates & boni,
Quod scire vestri est muneris,
Audite: Marco Antonio *de Piscibus*
Poëma dedicaverat
Olim Oppianus *elegans, & non breve.*
Hunc Imperator singulis
Pro versibus nummo donavit aureo.
Fomentum ô Oestri nobile!
Lysander Archilocho *exhibenti paucu-*
Versus suis de laudibus (*los*

Lætus capacem argento implevit Pileum:
O dulce calcar Carminum.
O aureum verè Poëtis seculum!
O quale nostrum? plumbeum.
Nec mirum: ubiq; nunc Poëtæ plumbei
Præstant politioribus.
Sacramq; prostituunt artem turpissimè,
Olim nihil quá carius.
SED tu Boëmici, VRSINE, ô Diadematis
Rosa, Gemma nobilissima,
Solusne nostro hanc labem absterges seculo?
Priscosne solus Cæsares
Imitaberis? Tu versibus pro singulis,
Gentis quibus Scutum tuæ,
Et Stemma paucis vix adumbravi typis,
Nummum mihi das aureum.
Mittis deinde grandi oblongum pondere
Monimentum amoris Poculum.
Quòd si tibi non cesserint hac regiá
Virtute nostri Principes;
(Neq; enim omnis est precisa apud Bonos Bonis
Spes Optimates Vatibus)
Hoc plumbeum, ventis secundis, aureo
Cessisse dicam seculo.

In Insignia
ILLVSTRIS DOM. IACOBI CVRTII à SENFTENAU, Cæs. Consiliarii intimi.

Et

ET tua Gens Aquilam clypeo gerit, inclite Curti,
Creverit auſpiciis quòd cumulata Bonis.
Æmula creſcit adhuc Aquilæ, tenditq; per altum,
Creſcat, & ætheriis inferat ora plagis.

In Inſignia
ILLVSTRIS DOM. BARONIS
DOM. FERDINANDI HOFMAN, in Grüenpühel & Strechau, Cæſ. Conſiliarii, & Cameræ Aulicæ Præſidis, &c.

DAma, ſiligineis & turgens culmus ariſtis
Plurimus exornant ſcuta Leone tua.
Dama celer ſaltu: mens eſt generoſa Leoni:
Donum, quo careat nemo, Siligo Dei.
Arduus excelſum tetigiſti culmen honoris,
FERDNANDE, arva, domos, oppida, dante Deo.

ILLVSTRI DOCTISSIMOQVE
BARONI, DOM. RICHARDO STREIN
à Schwarzenau, Cæſ. Conſiliario & Legato in Poloniam ſapientiſſimo, Pragá diſceſſuro.

TVne abitũ adfectas, ceu fama vagatur in Vrbe,
Ordinis ô STREINI gloria ſumma tui?
Tune ita Cæſariam, STREINI, citò deſeris Aulam,
Quá ſi quiſquam alius, tu bene dignus eras?

Te quibus ô votis abeuntem prosequar, Heros;
Cui Charites Musæ, cui Deus Ipse favet?
I tantis Ducibus stipate, laresq; paternos
Angelico sospes Numine rursus adi.
Vtq; diu Patriæ, Generi, Musisq; superstis;
Nulla domet mentem solicitudo tuam.
Hæc pectus, non os, tibi verba precantia fundit:
Namq; calet totum pectus amore tui.
Te commendavit mihi Calliopæa, Paterq;
Phœbus heri, quando Littera missa tua est.
Illa atq; Ille inquit: tua quid stupor ora colorat?
Non tantum Streini nomen in Orbe volat:
Quin etiam stygias latè descendit ad umbras,
Functa quibus fatis ethnica turba latet.
Miratus doctum Eloquium, miratus acumen
Puriùs erubuit Tullius ipse loqui.

In Insignia
MAGNIFICI DOM. ANSHELMI
à Vels, Cæs. Consiliarii.

Velsius ingenio, virtute, parentibus Heros
Nobilis hæc priscæ stemmata laudis habet.
Quadrifido in clypeo cruce Petra refulget, & ardet;
Parsq; capistrati prima notatur Equi.
Petra ardens pietatis opus, Crux Arrha salutis,
Nobilis ingenii est nobile pignus Equus.
Nobilitatis apex duplex est Cassis: honores
Quisquis amas, Virtus sit tibi primus amor.

Ad

AD MECOENATEM SVVM LIB. BAR. GVILIELMVM AB OPPERSDORF.

In Insignia illustris Familiæ Oppersdorfiæ.

DExtra minax gladio, caput & deformc Draconis
Martia sunt Generis signa, Guilelme, tui.
Et benè! nam quanto, quanto nunc claret honore,
Armis acceptum, Marte fatente, refert.
Id Mahometigenûm dextræ quod Prin ipis olim
Vexillum eripuit Patruus acre, probat.
Scilicet argento lucrari Insignia laus est
Nulla; sed æternum Marte vel arte decus.
Macte novâ virtute, Pater Guilielme; vireſcit
Vulnere namq; animi vis generosa boni.
Oppersdorfiadum Decus inviolabile partim
Mars fortis, partim iactat Apollo suum.

EIVSDEM MECOENATIS sui Symbolum: VIRESCIT VVLNERE VIRTVS.

VT magis irriguis Plantago vireſcit in hortis,
Conteritur plantis quò magis illa pedum:
Sic magis atq; magis revireſcit vulnere virtus,
Et mirè constans in probitate suâ est.
Nil moror ergo dolos hostis, nil arma minasq;,
Providus à nostâ stet modò parte Deus.

O mihi fata favete: Vireſcat Vulnere Virtus,
Et meritis creſcat mens animoſa ſuis.

IN INSIGNIA VETVSTISſimæ in Regno Boëmiæ Familiæ SLAVATINAE.

IN GRATIAM ILL. DOM. DOM. ADAMI SLAVATAE, in Chlum & Koſſumberg, Cæſ. Conſiliarii.

Simplicia arma, ſimul criſtata, nitentiaq́; auro,
Priſca, & clara ſimul Gens Slavatina *gerit.*
Hæc quî conveniunt? cum ſimplicitate quid auro?
Quid Gemmis? Vetus eſt Gloria Simplicitas.
Aureus idcirco Clypeum diſcriminat aptâ
Cæruleo junctus ſimplicitate color.
Hæc bona ſimplicitas, criſtæ, & Diadema coruſcũ,
Quæ fuerit, quæ ſit Gens Slavatina, *docent.*

In Inſignia ILLVSTRIS FAMILIÆ VVIRBIAE, ad generoſum Dom. BARONEM, Dom. HINCONEM à VVIRBEN, Cæſ. Conſil. & ſupremum Moraviæ Præſidem.

Lilia ſex hîc picta, trabemq́;, videsq́; columnam,
Quam penetrat validâ miſſa ſagitta manu.
Arma auguſta ſatis, regalibus æmula ſignis!
Et Gens *auguſta eſt* Vvirbia, *Martis honos:*
Virtu-

Virtutis Columen, Flos Nobilitatis amœnus:
Hinc o *magne vide signaq; resq; tuas.*
His mactè! at talathis vos crescite lilia plenis:
Tuq; columna Domus esto Columna Dei.

INGENIVM MECOENATIS SVI Dom. GVILIEL. ab Oppersdorff Baronis, &c.

IVdicii ad normam doctos evolvere libros,
Et dare quadruplici, cùm placet, ore sonos:
Consulere in medium graviter de rebus agendis,
Et consulta brevi texere docta stylo:
Scire potestates meditandi, pangere versus,
Et facere argutâ nobile voce melos:
Musicaq;, humanæ quæcunq; Industria mentis
Organa adinvenit, tangere posse manu:
Imò eadem scitè fabricare, decenter, & aptè;
Et didicisse tuos, Callographia, modos:
Deniq; ad omnem operam leni conamine ferri,
Quale sit ingenium? dic mihi: Dædaleum.
Tali Guilelmum *facilis Natura beavit*
Mecœnatem illum (res probat ipsa) meum.

In Insignia ANTIQVISSIMÆ FAMILIÆ LICHTENSTENIAE, ad Ill. Dom. BAR. Dom. IOAN. SEPTIMIVM à Lichtenstein, &c.

LVCIDVLVM *fecit cui nomen amabile* SAXVM,
Quæ non est Generis, Septime, *fama tui?*
Cur tamen arma gerit nullum ostentantia fastum
Gens tua? Splendorum cur caret illa typis.
Nil Clypeum illustrat, nisi quòd discrimine ducto
Et rosei & flavi forma coloris inest.
Cassis clausa gerit simplex diadema; duasq;
Alas: ô priscæ simplicitatis opus!
Fallor? an hac aliquid sub simplicitate notandũ est?
Omnia sunt Clypei signa vetusta tui.
Gens antiqua tua est, Virtus antiqua Tuorum,
Antiqua & gestis gloria rebus inest.
Omnia sunt antiqua, antiquum nomen, & omen:
Antiquum ingenium, Septime magne, tibi.
LVCIVS *ô verè* LAPIS! *ô Insignia clara!*
O longè tabulis splendidiora novis!

ILL. DOM. IACOBO CVRTIO à Senftenau, Cæs. intimo Consiliario.

DE NATA FILIOLA.

ECce homo sic rerum locuplete beabitur usu,
Iussa pudet Domini quem violare Dei.
Exserit omnigenis se munificentia rebus
Numinis: at Dos est optima progenies.
Ergo velut vites texunt umbracula, mensam
Sic cingit Proles multa, Iacobe, *tuam.*
Orsa bonæ sunt plena Spei, namq; ordine, Curti,
Te facit alterno sexus uterq; Patrem.

Parvu-

Parvulus ante pedes ludit Spes prima Iacobus,
Lascivitq; tuos Magdalis ante pedes.
Altera nunc sequitur gratâ vice Filia, quæ te
Et Socerum, & faciet (si modò vivet) Avum.
Cresce Puella bonis prognata Parentibus, ævo
Edita sis quamvis Elisabetha malo.
Cresce, sacrumq; bibas cum lacte pudoris amorem,
Et Cunis Pietas sit comes una tuis.
Quem nova testa capit, sapit inveterata liquorem,
Solus &, arbitrium qui regat, usus erit.
ELSVLA cresce igitur, cresce Elsula plantula cœlo,
Elsula tam pulcri Spes generosa tori.

AD EVNDEM.

QVas mihi misit heri perdices nobilis Auceps,
Has simul esse tuas, te simul esse volo.
Tu cape mente bonâ, quâ nempe Iacobe profectum
Munus, &, exiguum sit licet, illud ama.
Infero aquas Rheno: quid tum? sæpè alluit amnis
Flumen, & immensas piscibus auget aquas.

IN POCVLVM SANITATIS ARgenteum IOANNIS COCORS à Camenez in Hohndorff, Equitis Silesii nobilissimi & literatissimi.

VT pia conservem Naturæ dona, probemq;
Me non esse Feram; cum ratione bibo.

An rides Epicure? bibam quid si quoq; posthac,
At tibi Mors risum luxuriosa premat?
Hei pudor! hei plures hodie gula, quàm necat ensis!
Odit se, quisquis nescit amare modum.

IN ALBVM AMICORUM suorum.

CVm ferus in patriis vastaret finibus hostis
Igne, manu, stupris, oppida, rura, domos:
Hei mihi tum capto miseræ inter parva Pizinæ
Mœnia surripuit Sarmata fortè Librum:
Quo consignarant manibus sua nomina dextris
Symbolaq; illustres stirpe animoq; Duces.
Pignus Amicitiæ quoq; immortale locarant
Arte Viri insignes, Lumina Teutoniæ.
Ah quoties illum quoties evolvere juvit,
Cùm peteret mentem solicitudo meam!
Nempe animo repetens annos hinc inde peractos
Discussit curas protenus ille novas:
Non secus ac fulgens Phœbææ lampadis ardor
Nubila mox radiis discutit atra suis.
Esset ut ergo mihi talis Medicina deinceps,
Successit Codex illius iste loco.
Nunc veteres pariterq; novos invitat Amicos,
Vt dent victuræ pignus Amicitiæ.
In promptu caussa est: nec enim discrimine nullo
Colligit ignotas degenere sve manus.

Hunc

Hunc sibi sed servet vult Vulgus futile morem,
Alloquiturq; bonos talibus ille viros:
Cujus dextra notas hic pingit, congrua cordi
Fingat: Amicitiæ tale probatur opus.

IN SODALITIVM VARII ET ominosi Nominis, disceptans inter pocula de Vocabulis Opinionis, Rationis & Caussæ.

ANgelus, & Dæmon cum Fulmine, Vulture Taurus,
Convenere vno nuper in Hospitio.
Nobile Concilium! pransum est: quid postmodo? Rixa
De tribus, hos inter, vocibus orta fuit.
Pugnavit Ratio, *pugnavit* Opinio, *palmam*
Abripuit toti Caussa *Sodalitio.*

QVOMODO FIDENDVM.

NEc tibi fide satis; sed nec diffide; modus sit:
Esto aliquid, sed non protenus esto nihil.
Nec totum esto: pecus namq; illud, Beluaq; hoc est:
Es quod, homo neutrum: fidere disce parum.

FIDE CVI VIDE.

Symbolum Nobilis & amplis. V. TOBIAE LINDNERI à Grönaich, Senatoris Vratisl.

ANte vide, quàm fide, fide quis dignus, & inde
Elige, cui dicas: Tu mihi fidus eris.

Namq;

Namq; vides, quòd sæpe fides est frigida: cautè
Fides ergò, vides quando, ubi fida fides?

HOS VERSICVLOS, AVTHORIS Mecœnas III. D. Baro, Dn. GVIL. ab OPPERSDORF, sic linguâ & mente germanâ interpretatus est.

AVs vilen dir ein Freund außklaub/
Denselben lieb/von hertzen glaub.
Doch merck zuvor mit vleiß/ob ist
Zu glauben jhm ohn alle list.
Denn zuviel glauben bringt gefahr/
Dieweil Untrew mit groser schar
Inn dieser Welt hat jhren Sitz/
Drumb Traw/Schaw Wem/so hastu witz.

AD EVNDEM D. LINDNERVM.

Viros Literatos Reipub. præficiendos.

IN quo concertant doctrina atq; æmula virtus,
Nonne Senatoris dignus honore foret?
O benè prudenterq; actum, quòd Curia BRESLAE
Consilii Socium te facit alta sui!
At mea subdubitat, LINDNERE, Thalia, tibine
Gratari potiùs debeat, an Patriæ?

SATVR

SATVR IN FAMELICVM.

NOn Satur audit eum, rabies quem vexat edendi:
In pleno noli quærere ventre fidem.

IN PALATIVM MAGNIFICI Dn. ANSHELMI à VELS, Cæs. Consiliarii.

COndidit Anshelmus, quas cernis, VELSIUS ædes;
Cui melior longè est æthere fixa Domus.
Hic saltem hospitium struxit, quo se ille pararet
Aptum ad sideria tecta habitanda Domus.
Structuræ facies antica videtur; at intus
Plurima, quæ discas, & mediteris, habes.
Cuncta suis disposta locis: pulcerrimus ordo,
Et speculum vitæ lucet ubiq; tuæ.
Concinna ostendit series Emblemata rebus
Plena bonis: partem diva Poësis habet.
Quid multa? hæc gaudent Pietas, Sapientia, Candor,
Et Musæ, & Charites, & Deus Ipse domo.
Felix, his junxit sua qui commercia Divis!
Si nescis, quis sit VELSIUS, inde scies.

IN TRES GRATIAS Ibidem pictas.

CVr Charites jungunt dextras? quia mutuus illis
Ardor inest: hæc dat, capit altera, tertia reddit.

Cur

Cur tres innuptæ? sint illibata bonorum
Munera. Cur illas ambit pellucida vestis?
Munera sectantur lucem, cupiuntq; videri.
Cur Iuvenes? nescit Senium pia Gratia. risu
Cur modico certant? hilarem decet esse Datorem.
Cur una avertit faciem? quod dextra ministrat,
Lævam scire nefas. cur porrigit altera frontem?
Agnoscit, plenaq; canit data munera voce.
Cur partem ostendit vultus, partemq; recondit
Tertia? Redditio celanda est muneris: ipsum
Munus amat lucem: placet officiosa voluntas.

DIVO RODVLPHO II. ROM. Imperatori: Dedicatorium.

Dive, Deo sacros hos, Cæsar, suscipe versus,
Quos tenui duxit nostra Thalia Stylo.
Non lusus, non bella canunt, non gaudia mundi:
Symbolon explanant, magne RODVLPHE, *tuum.*
Præmia, vis dicam, mihi quæ satis æqua rependas?
Non peto pro vili munere turpe lucrum.
Gratia pro ruitilo tua nam mihi sufficit auro:
Hanc liceat Musis conciliare meis.
Omnia me demum summa impetrasse putabo:
Tu modò Cæsariâ suscipe dona manu.
Quid nî? si credis regalibus omnia sceptris
Munera, ut ut niteant, esse minora, sat est.

IN

IN RVTAM.

Ruta quid hoc? num te tempestas noxia læsit?
Natura oblita est an generosa tui?
Nulla aliàs tibi Brumma, licet fera, demit honorem?
Omni una est facies tempore, Ruta, tibi.
Tu tamen ô nobis sensim marcescere visa es
Hactenus, & stirpem deseruisse tuam.
Pallidulæ jacuere comæ, vigor ictus, & ustus,
Inq; salebrosos est viror actus agros.
Fallor? an excluſit te Sol æstate tot annis,
Continuoq; tuam frigore pressit humum?
Sol rediit, quicquid fuerat, tibi RUTA: vigorem
Collige: fata tibi nunc meliora favent.
Lucem oculis adfer, restingue Libidinis æstus:
Nam COLOR atq; CALOR jam redière tibi.
Sana esto Sanis: abige Angues, supprime virus:
Cingat odora tuas Laurea, Ruta, comas.
Fata suis gaudent vicibus, tolluntq; premuntq;:
In vitam redeunt mortua, viva cadunt.

VT CREDENDUM.

NOBILISS. V. OTHONI ab HOIM Illustriss. Ducis Brunsuic. ac Lunæb. HENRICI IULII &c. Consiliario.

NEc citò, nec serò, nec nil, nec cuncta, nec omnia
Crede: suus VERO sit sine felle locus.

Hæc

Hæc est, nobilibus prognate Parentibus OTHO,
Mens tua: jure Foro Iustitiæq; præes.

NOB. V.
CASP. FRÖLICH.
Affini suo cariss.

SVnt tria, quæ præsens ab honestis postulat ætas
Ingeniis: hæc tu propria, CASPAR, *habes.*
FRONS *plana est &* APERTA *tibi,* MENS *plana*
& OPERTA,
PARCAQUE, *plena simul planaq;,* LINGUA *tibi.*
Hæc retine, & quicquid ventosa Calumnia dicat,
Spe tacitâ, & presso nomine vive tibi.
Tempus erit, cùm mille ferent tua munera fructus
Terna tibi: Interea Spem cole, fide, sile.

AD PATRIAM SVAM.

QVem tua nascentem suscepit Terra Poëtam,
Suscipiet pariter non alienus amor.
Gloria qui Patriæ non summa est, nec Mediocris,
Si modò non illi est dedecus, est aliquid.

QVOD PROMISCVE, NON OBstante Religione, omnes Bonos & doctos viros amet.

IN hoste Virtus cum laudanda sit, colo,
Non tantùm amo, Bonos omnes promiscuè,
Virtute

Virtute qui, & doctrinâ, nomen seculis
Suum sacrarunt posteris: stultissimè
Sapit; sed & sapienter ille desipit,
Virûm putat doctorum qui commertia
Vitanda Religionis solo nomine.
Sic Ethnicorum Libri docti, & utiles
Exterminandi essent Scholis magno agmine.
Nam quid fit, ut Cerdo non æquè sordidus
Colatur, ac Vir literis celebrior?
An non, potest quòd nil præter quàm scalpere
Pelles suas? quòd si castris in Palladis
Exercuisset insuper se strenuè,
Doctrinæ & hinc sibi Thesaurum nobilem
Parasset, an non prosequendus arduo
Amore? rideant hoc scitè, qui volent,
Vel improbent: doctos ego vos singulos
Bonosq; diligo, quæro, tueor, colo:
Sed quomodo? sanctam usq; ad Aram: hic Terminus.

IOAN. MVLNERO CÆS. CONsiliario & Secretario, de nato Filiolo.

DVlce Patris nomen, sanctum & venerabile, quo
Dignatur rerum maximus Ipse Pater. (te
Progenies Dos summa Dei, Spes, pignus, & Arrha
Conjugii, cujus Conditor Ipse Deus.
Tale tibi pignus, spes talis, talis & Arrha
Contigit; ô faustum te, Sociamq; tuam!

Te facit è sexu proles meliore parentem,
Mûlnere Aonii cura decusq; chori.
Idem Petrus Avum faciat te Filius olim,
Gestat honorati qui grave nomen Avi.
Crescat honos, nomenq; tuum, stirpisq; Propago;
Vtq; diu crescat, sæpius esto Pater.

IVDICIVM ÆGROTANTIVM de Medicis.

AVdite, ô Medici, quæ vestri forma sit oris,
Et qui diverso tempore vester honos?
Cùm primùm fragiles morbi dolor occupat artus,
Angelicæ vobis gratia frontis inest.
Pòst ubi paulatim sedat Medicina dolorem;
Humanum vobis creditur esse caput.
At simul ac doctâ arte malum fugit omne, videtur
In Medici vultu trux habitare Satan.
O deforme animal! sed eo deformius illud,
In cujus facie Mors miseranda sedet.

MAGNIFICO CHRIST. VVOLFgango Freimonio, cùm in numerum Cæsar. Consiliariorum intimorum adscitus fuisset.

VSq; adeo Virtus concludi finibus arctis
Nescit, & obscuro delituisse loco.

Erumpit

Erumpit tandem, lucemq; perambulat altam,
Nominis & proprio gaudet honore sui.
Non opus Exemplis: pro multis sufficis unus
Tu mihi FREIMONI: Res facit Ipsa fidem.
Ingenium Virtus, Virtus tibi contulit artes;
Te quodcunq; Decus possidet, illa dedit.
Namq; ubi Cæsariam te pertraxisset in Aulam,
Publica consiliis credidit Acta tuis.
Nec tali contenta loco fuit illa; sed ultra
Plus, ait; est nondum Meta petita tibi.
Dixit, & ad summi traxit te Culmen honoris:
Ingenii velox Ala levavit iter.
Gratulor ergo tibi, quòd te quoq; regia virtus
Inter tam paucos jussit habere locum:
Paucos, consiliis quos Cæsar Maximus ultro
Arcanis Socios addidit ipse suis.
Gratulor, utq; diu te Cæsar & aula fruatur,
Ipsaq; te Virtus provehat usq;, precor.
Hæc dictavit Amor, quo te complector amantem:
Nam me eadem Virtus jussit amare Bonos.

FORTVNÆ DELECTVS
è Cicerone.

NVlla recusanda est communis, nulla petenda
Propria Sors: hæc laus Civis honesta boni.

In libellum
MAGNIFICI VIRI CHRISTOphori Pirckhaimeri, Cæs. Consiliarii primarii, quo omnium ab Initio Consiliariorum Imperialium in Aula Cæsaria nomina, Insignia, Symbolaq; consignata habet.

Lvmina Cæsarii vis clara videre Senatus,
Splendidius toto quo nihil Orbe nitet?
Hunc evolve brevem, sed non sine mente, libellum:
Addat ad Ingenium quod tibi calcar, erit.
Nulla loci hîc Ratio (series ô digna favore!)
Vltimus & primus gaudet honore pari.
Omnibus idem animus: cur non honor omnibus idē?
Hîc nullum Ambitio debet habere locum.
Omnes in celsâ Themis aurea sede locavit
Et genere illustres, & pietate Viros.
Hos ita collegit, memori sacravit & ævo
Cæsarii Comes & Pars benefida fori:
Cui Pirckhaimero nomen, cui martia Cunas
Christophoro faustâ luce Vienna dedit.
Is Collegarum posuit monumenta Suorum:
Astreae *hîc quantum splendeat ecce jubar!*

SINE FRAVDE.

Nemo Bonus, nisi qui sine fraude negocia tractat:
Qui sapis, ingenuè res age, nilq; time.

Clariss.

Clar. & Nob. V.

VITO VVINSHEMIO
Legato Regio.

PEccavi, fateor, doleo: Tu, Vite, dolenti
Da veniam: culpæ facta feneſtra fuit.
Muſica me cepit, decepit Bacchus: acerbam
Iamq; luo pœnam: namq; caput doleo.

DOMAT OMNIA VIRTVS.

Symbolum
IACOBI CHIMARRHÆI,
Cæſ. Eleemoſinarii, &c.

QVod domat ætherios divino Numine tractus,
Quod mare, quod terras, quod pecudesq; domat:
Quod domat humanas arcano robore mentes,
Indomitum toto cui nihil Orbe manet:
Eſſe quid hoc dices? Virtus domat omnia nempe,
Omniaq; Imperio ſubiicit una ſuo.
Hæc cœli, terræ, maris eſt, pecudumq; hominumq;
Dux, Regina, caput, porta, columna, Deus.
Hæc Domina, hæc Victrix vivit poſt funera Virtus,
Et conſectantes ſe vetat illa mori.
O felix, quicunq; jugo ſe ſubiicit iſti,
Si, quod habet vitæ præmia ſumma jugum eſt.

D. BARONI CHRISTOPH. à SCHLEINIZ, Cæs. Consil. cùm in foro causſam obtinuiſſet.

DAte lætitiæ, Schleinizi candide, mecum:
Cauſſa triumphavit Vindice iuſta Deo.
Gratulor; & votum ſuperaddo, ut nulla fatiget
Amplius ingenium Lis operoſa tuum.
Teq; tuosq; Deus tueatur ubiq; Penates:
Quem divina tegit gratia, tutus agit.

ANAGRAMMATISMVS.

QVEM IOANNI COCORS à Camenez in Hohndorff, Comitem in Itinere Vvirtenbergico adiunxit.

IOHANNES COCORS.
Anne hic Oſor? Cos.

QVi pia Muſarum tenero veneratus ab Ævo
Numina Caſtaliis ora rigavit aquis:
Quem doctâ inſignem paullatim reddidit arte
Pallas ab omniſcio progenerata Deo:
Quem mores hominum, terrasq; urbesq; videndi
Per juga, per valles, per mare traxit amor:
Quem non Boſphorio tantùm ad Byzantia vexit
Littora Nauta freto, ſanguineumq; thronum:
Non ad Achemenii tantùm Ducis arva, ſed ultra:
Nempe Paleſtinos ut peragraret agros:

Hinc

Hinc pollentem usu Paduæ *Germana Iuventus*
Concilii jussit quem Caput esse sui:
Sed tamen Aonidum nondum saturatus amore,
Non ita pòst patrium liquit; ut antè, solum:
Avexitq; iterum dulces ante omnia Musas,
Nempe in Athenæum, docta Tubinga, *tuum:*

Hunc qualē memorem? Contemtor emne Suorum,
Et Patriæ, haud istâ labe notandus erit.
Non illum cæpere suæ fastidia Gentis:
Pluribus addendi plurima cepit amor.
Dives abit, redeat viridi ut ditissimus ævo,
Cùm satis Ingenii multiplicarit opes.
Quo fine? ut Patriæ plus prosit, Gloria major
Sit generi, Agnatos Exacuatque *suos.*
Anne hic Osor? amans imò, & Cos ille Suorum;
Cui Virtus debet plurima, plura Genus.
Quis bon⁹ hic? genere & virtute Cocorsius *ingens:*
Vivat, & incepit quod bene, claudat opus.
Vivat, & huic similes det nostra Silesia multos:
Sic priscæ stabit Nobilitatis honos.

IOAN. IAGEMAN IN HARDEGsen & Gottingen, Illustriss. Ducis Brunsuic. HENRICI IVLII, &c. Cancellario.

IN IPSIVS NOMEN, SYMBOLVM, & Nobilitatis Insignia.

EST Venatoris tibi non ignobile nomen,
Nobilis est etenim præda petita tibi.
Venatus laudem Virtutis & Artis honestæ
Cæpisti studiis præmia digna tuis.
Et quisquam invideat tibi, vel miretur honores,
Queis te Cæsarius nobilitavit Amor?
Perge; sed Invidiam Comitem venare; Per Illam
(Ne fuge) Virtuti est invia nulla via.

VDALRICO SCHAF, COGNOmento Gotsch à Kinast, in Greifenstein & Boberstein.

PEnè etiam Lippis innotuit Actio Iuris,
Quæ vario exercet teq; Tuosq; stylo.
Sortem aliam infestis sperat metuitq; secundis
Rebus per dubias Mens agitata vices.
Sed tu animum retine fortem: Victoria causſam
Deseruit nunquam Numine freta bonam.
Sorti sæpè locum meliori Iniuria præbet:
Ergo Vlrice metum proijce, Spemq; cape.
Vis Vindicta suum tibi rectè accommodet Ensem?
Nec sitias illam, nec cupidè esurias.

IN EFFIGIEM IOANNIS POSTHII, Med. & Poëtæ clarissimi.

FRonte fides, oculis gravitas, & gratia amœna,
Plana Genis Pietas, Candor in ore sedet.
Quæ lepida hæc facies? Ioannes Posthius hic est,
Cujus nata Solo carmina nota Polo.

DE

DE IACOBO DE KERLE, CÆS. Sacellano, Musico excellentissimo.

Harmoniâ cujus capita oblectantur in Orbe
Summa duo, Cæsar magnus, & Ipse Deus:
Qualis erit? quantus? Vir dignus honore & amore,
Musica quem saliens evehat astra super.
Te tantum fecit Natura, Iacobe; Rodulpho
Cæsari enim cantas dulcia, grata Deo.

IN POCVLVM PRÆTER SOlitum CAPAX, auro argentoque puro infecto basilicè fabrefactum, Mecœnatis sui Dn. Baronis GVILIELMI ab Oppersdorff, &c.

Præfuit aurifluis, Bojemâ in Gente, Fodinis
Non sine laude me° (nam sine fraude) Pater.
Filius inde Scyphum hunc memori Oppersdorffi° ævo
Condidi, amans patriæ sortis, & ingenii.
Artificis vis, hospes, opus cognoscere? primùm
Evacua, ut possis mille videre oculis.

DOLORI MODERANDVM.

Sicut homo prudens admitte, & vince dolorem
Sicut homo; utq; ruant omnia, cede nihil.

BIBLIOTHECA IOAN. GEORGII à VVERDENSTEIN, Viri opt. nobiliss. & doctissimi : Illustriss. Bavariæ Ducis Consiliarii, &c.

Huc age, quẽ versare juvat genus omne librorũ:
Nil quæres, quod non protenus invenias.
Namq; instruxit Herus me Vverdenstenius *olim,*
Nec cumulare bonis desinit usq; libris.
Illos nocturno volvit, volvitq; diurno
Pollice, Avis clarus, nobilis arte Senex.
Hei metuo, ne tam paucos, quàm par mihi rara est
Bibliotheca, habeat nobilis Ordo pares!
Magna quidem nunc sum: verùm huc aliquando re-
Vivat Herus; longè tunc ego major ero. (dito;

MAGNIS MAGNA DIgna Abstinentia.

Quid tua Nobilitas, quàm rectè vivere? quàm te
Scis magnum, tibi tam pauca licere scias.

DE SVBITA MVTATIONE AERIS.

In prandio Ill. Dom. Archicancellarii, Sacri Boemiæ Regni, Generoso Equiti aurato Ioanni Chinsky, &c. petenti recitatum.

Solvitur acris hyems; miteſcit & horridus aër:
Fortunæ ô ſpiret mitior aura meæ.

GREGO-

GREGORIO GVNTHERO S. Boem. R. Medico Physico, de recuperatâ suâ valetudine.

Quòd calamum duco, meditor quòd amabile carmen,
Altera Gunthere *est laus tua, prima Dei.*
Gratia prima Dei, tua jure secunda Gregori:
Nam per te calamum duco, juvante Deo.
Cur non in plausus linguamq; animumq; resolvam?
Quin ades, & mecum gaudia plena capis.
Ardet amore Tui, qui te vocat hospes amicus:
Eius Musa tuam nulla tacebit opem.
Eximium Medicina Dei est innoxia Donum,
Omnis & est Medicus dignus honore Bonus.
Fercula pauca tibi apponam cum simplice Vino:
Si nimium fuerint pauca, Poëta dedit.

DE EADEM VALETVDINE recuperata IOAN. SCHARBERGER, Aulæ Cæs. Familiari.

Convalui. laus prima Deo, Medicoq; secunda,
Tertia debetur, Iane diserte, tibi.
Namq; ministrasti solamina multa jacenti
Litterulis, Votis, muneribusq; sacris.
Convalui: morbus cessit, cessere dolores:
Hinc mihi lætitiæ surgit amœna seges.
Iane veni, & Messem fac dilectissime mecum:
Quæ mea sunt, tua sunt; quæ tua, Iane, *mea.*

IN EF-

IN EFFIGIEM ANNÆ, VVENCESLAI PLACELII Vxoris præstantissimæ.

SI qua meæ formæ præstantia, gaudeo: sed quòd
Placelii *conjux sum, mihi major honos.*

AD HORTVM ILL. DOM. IACOBI CVRTII, Cæs. Consil. intimi.

HOrte tuo aspires Domino: vos crescite Plantæ,
Graminaq; & Flores, arboreæq; comæ.
Quot curas magno pro Cæsare sustinet, usu
Aspectu & vestro vos relevare decet.
Hoc vestrũ est: sed ego tale accino Musica *votum:*
Perpetuo crescat Curtius, *& vireat.*

Musicis numeris à Musico Cæsario hoc Epigramma inclusum fuit.

INSCRIPTIO EIVSdem Horti.

VT Hortus viret ecce Curtianus:
Sic felix vireat Propago Curtii.

ALITER.

SVrgite vos herbæ, plantæ vos crescite, vivat
Satorq; vester Curtius.

IN

IN DIEM GVILIELMI.

Ad Mecœnatem suum, Dominum Guilielmum ab Oppersdorff, Lib. Baronem, &c.

INsignita dies cujus sit nomine præsens,
Inspice Ephemeridas, Fide Patrone, tuas.
Hæc TUA nempe dies, quia consecrata GUILELMO:
Est igitur lætâ fronte colenda tibi.
En læti facies te formosissima cœli
Invitat, poscit gaudia, spemq; facit.
Spem qualem? sortes post turbida fata serenas
Conciliare tibi per pia vota Deum.
Non secus ac nubes, quæ præteriere diebus
Hisce, novis radiis discutit ista dies.
Omen in Eventum, Spes in rem deniq; faustam
Exeat: hæc voti est Summa, Guilelme, mei.
Hoc ego te voto, ceu vinclo vincio molli:
Hoc votum solvant Numina, liber eris.

VIRTVTI FORTVNA Comes.

MAgna Dei Bonitas, & magna est gloria famæ,
Nobile de clarâ ducere stirpe genus.
Major honoratæ Decor est & Gloria stirpis,
Publica Natalis tollere signa Domus.
Summus honos, & summa Dei clementia summi est,
Publica virtutis tollere signa suæ.

Virtuti

Virtuti Fortuna Duci Comes additur: ô quàm
Felix, cui plana est inter utramq; Via!

ILL. DOM. BAR. DOM. PAVLLO SIXTO TRAUTSON Cæs. Consil. intimo, & supremo Marescallo.

In celebratione Diei B. Apostoli Paulli conversi.

SIXTE dies hæc sacra tibi, quia nomine Paulli
Vteris: ergo pio fer pia Vota Deo.
Quicquid divinæ pietas impendit honori,
Hujus &, & vitæ dona sequentis habet.
Paullus erat Christi venerandus Apostolus olim:
Tu Christi & Paulli dogmata, Paulle, colis.
Paullus olympiacâ cinctus post fata coronâ est:
Ambiat illa tuum, Paulle, Corona caput.
Paulle quid optarem tibi paulo carmine majus?
Exemplo Paulli, Paulle, verere Deum.
Vive diu, & patrios imitare fideliter ausus:
Sic re non minùs, ac nomine, Paullus eris.

DN. CHRIST. à SCHLEINIZ, L. Baroni, Cæs. Consiliario & Legato, pro felici itinere.

RE bene confectâ, Legati munere functæ
Cæsarii lætâ fronte redito domum.

Vis

Vis Comites? Christum, Virtutẽ, & Carmen amasti
A teneris: Comites hos cape: tuta Via est.

In prandio recitabat.

De Bibliotheca sua,
CHRISTOPHORO FIRXIO EQVIti Livono nobilissimo.

VXorem & dulces ante omnia pignora Natos
Commisi fidei, dulcis Amice, tuæ.
Magna tuæ nostra est Fidei fiducia, FIRXI:
Nam tuus est nobis sæpe probatus Amor.
Ad te dum redeam superest mora parva, tuere
Thesaurum interea, delitiasq; meas.
Quàm cara est Vxor, Soboles quàm cara Marito,
Tam dilecta mihi Bibliotheca mea est.

FRIDERICO MVNCK DANO
Nobilissimo, Argentinâ in Patriam redeunti.

NI scirem, quantæ pietas tibi provida curæ,
Iam me acris caperet solicitudo tui.
Vt nunc sunt homines, vix intra mœnia tutò
Vivitur: at quantum tu modò carpis iter?
DANIA Regnorum non ultima Gloria Mundi,
Quæ tua Natalis terra, petenda tibi est.

Quem

Quem pietas armat, non pluribus indiget armis:
Nempe pios non vult deseruisse Deus.
Vade igitur, MUNCKI, magnæ spes optima Gen-
Attinges portum vela regente Deo. (tis:
Perge modò huic vitæ bene conformare sequentem:
Sis aliis speculum, sint aliiq; tibi.
Quid moneo? Nomenq; tuum Rosa ternaq; Scuti,
Quam geris hastatâ Casside, calcar erunt.
Mite tibi nomen: FRIDERICUS pacis abundat:
Pax fida est hominum, fida ministra Dei.
Est Rosa dulce decus Florum: Tu tale Tuorum,
Virtutem Dominam si patiere tuam.

IOANNI MAGNO EQVITI Dano, nobilis. Iuveni.

Magnus eris: magni si nomen ab omine pendet:

Subijciebat Dom. IOAN. STURMIUS in Prandio:

Magni nomen habes: te nisi magna decent.

VVENCES. ECKERO S. CÆS. Maiest. supremo per Silesiam Vectigalium Præfecto.

De liberatâ fide.

OBstrinxti haud parvo, pro me, cõpulsus Amore,
Nuper in ære tuam, VVencelilae, fidem.

Hæc

Hæc iterum facta est per me tibi libera: grates
O quantas meritis debeo jure tuis!
Vt summas referam, Votum tibi dono profectum
Mente piâ: Sortes ditet Iôva tuas.
Certus in incertâ re sæpe probatur Amicus:
Omnia dat, salvo qui dat honore fidem.

IN FVREM ANNVLI SVI Signatorii.

QVisquis es, orbasti digitos qui turpiter auro
Invadente levi membra sopore, meos:
Nil tibi funestum precor, intentove, nisi olim
Ambiat ut collum longa catena tuum.

AMICVS RECVPERANDVS

SI fortuna tibi, vel casus ademit Amicum,
Hunc omni studeas conciliare modo.
Non odia irrorare odiis gliscentia pergas:
Verba animi potiùs sed profitere boni.

AD SVPREMVM S. BOEM. R. Cancellarium, Ill. Dom. Dom. Adamum de NOVA DOMO, Cæs. Consil. &c.

INclite ADAME moram rumpe: est ea tristis egenti:
Nostra Crumena diu est viribus hausta suis.

Et prope nunc animam lacrimans agit illa; resumet
Fortè tamen vires: Tu modò rumpe moram.
Praga quid est aliud, quàm argenti auriq; Vorago?
Multorum hei quantas Praga voravit opes!
Faucibus ergò suis ne me quoq; sorbeat illa
(quanquam nulla subest vis mihi grandis opum)
Cæsarios tandem tua scriptio firmet honores:
Quæ citò confertur gratia, grata magis.
Sic tibi, si qua petis supremo à Numine, fata
Dent citò: quæ tarda est gratia, grata minùs.

INVIA VIRTVTI NVLLA VIA.

Symbolum Ioan. Iagemanni in Hardegsseñ & Gôtingen.

Illss. D. Brunsuic. Hen. Iulii Cancellarii, Viri amplissimi.

Flexibiles tot vita vias humana volutat,
Vt pauci peragant, quod gradiuntur iter.
Virtuti nulla est via *flexilis* invia: *solam*
Hanc sequor: an mirum, si Comes invidia est?

NODOS VIRTUTE RESOLVO.

Symb. Georgii Tzrela Legati ad Cæs. Maiest. Equitis Silesii literatissimi.

Abstrusa ingenio, nodos Virtute resolvo:
Virtuti Ingenium servit, utrumq; docet.

IN

IN PERFIDVM ET NAVCI Hospitem.

QVem non lassat iter? sic quosdã exceperat hospes
Ignis egens, lecti, straminis, & dapium.
Omnia cum desint, tamen & bona verba negantur:
Infremit hìc Famulus, murmurat hospes ibi.
Ergo Viatores irâ stimulante fenestras
Fornacemq; manu diripiunt celeri.
Cantharus adfertur, quem dextera nulla per annum
Eluerat: Servi mox caput ille petit.
Sordidus adfertur Cyathus, rimisq; fatiscens,
Hic etiam Servi pulsat inane caput.
Nec mora: deïcitur gradibus nequam Hospes: is omnem
Ante forum defert rem, cumulatq; minas.
Dant Responsa Rei, caussamq; fatentur, & ajunt:
Nostrûm nemo negat, quod bene fecit, opus.
Hospes quòd verò cecidit, festina ruinæ
Caussa fuit, forsan dum celeraret iter.
Subridens Iudex, ut cautiùs ambulet Hospes,
Nec neget hospitibus verba quæ, jusq;, jubet.

IN HOROLOGIVM SOLARIVM palatio Dn. Anshelmi à Vels impressum.

CErnis ut Vmbra fugax tempus discriminet horis?
Talis, homo, est vitæ cursus & Vmbra tuæ.

IN POTATORES.

Quæstio quid fallat Satanam? si pocula fiant
Sicca, genas ut aquis, fletibus ora rigent.
Scilicet ille putat commissa piacula fleri:
Hem laus, sic Stygium fallere posse Ducem!

In Insignia
CLARISSIMÆ FAMILIÆ
Reicheliorum, VVratislavienſium Patriciorum.

STat Leo magnanimus, falcemq; prioribus effert
Vnguibus, erecto corpore, totus ovans.
Quo tamen in clypeo, quá caſside, quaq; coroná?
Hæc ſunt REICHELIAE *ſtemmata clara Domus.*
Quisquis es, agnoſces hoc qui laudabile nomen;
Dixeris, ô tali ſtemmata digna domo!
Namq;, quòd huic dederit quondam primordia Tellus
Francica Vite potens, ſtans Leo falce notat.
Cur ſtat, ſicut ovet, porrecto corpore? Virtus
Sic exporrectá fronte triumphat ovans.
Reichelios igitur Virtus evexit, & ultra
Evehet: hinc ſtabit, ſtante Leone, Domus.

GENETHLIACON,

Magnifico Dom. Ioanni VVolfgango Freimonio, Cæſ. Conſil. intimo, de nato Filio.

Quæ

Quæ prope biſſenos erat exoptata per annos,
Nunc tandem Soboles maſcula nata tibi.
Quòd ſi grata magis ſunt longiùs exſpectata,
Quanta recens natæ Gratia prolis erit?
Solve Deo grates, Freimoni fauſte, quòd adſit,
Per cujus nomen duret in Orbe tuum:
Ingenio qui te referat, virtutibus æquet,
Nec tibi doctrinæ cedat amore Patri.
Tu verò auſpiciis, Vvolfgange Rodulphe, ſecundis,
O deſiderium tam grave, creſce Puer.
A teneris Pietas tibi prima & ſumma ſit annis
Cura; ſecunda, bonis invigilare libris.
Sic paſſim de te famam olim dicere coges:
In Nato vivit mortuus ecce Pater!

ZACHAR. STARCK I. V. Doctori, Hoſpiti ſuo Dreſdæ benefico.

Hoſpitio quòd me dignatus es, optime Starcki,
Tecta quòd eſt tectis Muſa puſilla tuis.
Tantas perſolvo memori tibi pectore grates,
Quantus es ipſe, Bonis carus, amansq; Dei.
Et ne nil referam, cape votum: Hunc proſperet annum,
In cuius ſortes vitaq; noſtra, Deus.
Hic tibi principium, medium, finemq; ſecundet:
Nulla tibi mala nox ſit, mala nulla dies.

Quodquod obis, succedat opus: sit corpore sano
Mens sana: à Laribus sit procul atra lues.
Mascula progenies crescat virtute Parentum,
Fœmineus crescat Religione torus.
Filia te Socerum faciat benè nupta beatum,
Iucundumq; tori post breve tempus Avum.
Tandem ubi perpetuus primordia ceperit annus;
Hospitio excipiat nos Domus alma Dei.

IN EFFIGIEM NICOLAI REVSNERI, Viri amplissimi.

Scripta illustre cui pepererunt plurima nomen,
Hæc est Reusneri Nicolei *Effigies.*
In vultu gravitas, in corpore forma virilis:
At decus Ingenii nulla figura capit.

IN SECVRIM BELLICAM, Mecœnati suo Dom. Bar. GVIL. ab OPPERSDORF, subitò in cœnâ recitatum.

Quæ donata tibi, Guilielme, *capesse securim,*
Et gere divinâ nobile munus ope
Strenuus exhibuit tibi Vir, tibi strenua mens est:
Strenua (fide Deo) dextra futura tua est.

ILL.

ILLVST. DOM. DOM. ICONI de Kniphausen, Libero Baroni in Eller & Vogelsang, Legato Frisiæ Orientalis ad Cæs. Majestatem.

Cur ego te parvo magnum, Ico, munere donem
(Muneris est dignum si modò voce) rogas?
Parva placent magnis, cum non majora supersunt,
Munera: nam parvis laus quoq; rebus inest.
Ergo chartaceum non aversabere munus
Ico, sed Authorem noveris esse tuum:
Authorem, meritò qui te veneratur amantem,
Cujus Musa tuo nomine Major erit.
Hæc nunc à Votis exordia ducit, & optat,
Salvus ut ad patrios mox reveharis agros.
Re bene confectâ te patria læta salutet,
Vtaturq; tuis dotibus illa diu.
Fronte serenatâ Conjux te blandula salvum
Excipiat, figat basia, prole beet.
Ico tibi hoc munus placeat, potiùsve voluntas:
Quid referes? constans sis in amore Mei.

MISERO NE ILLVDE.

Cvm Natura Parēs, Fortuna Noverca sit atrox,
Nullum temne, cui sors minùs æqua venit.

ADVLATOR FVGIENDVS.

SI quis Adulator tibi multa susurrat in aurem,
Crede aliis primùm, quàm tibi, crede parum.
Quantum blandiloquo mellis promanat ab ore,
Tantum pestiferi cor leve fellis habet.

IOCVS.

RES nova, Reicheli! Bütnerus quærit ubiq;,
Et tamen in Naso fixa ſpecilla gerit.

Dedicatorium

GENEROSO DOM. BAR. DOM. CAROLO â Lichtenstein, Austriaco, &c. Sponso.

NAte Barone Patre, & Comitissâ, Carole, *Matre,*
Accipe, Frenceli *quæ tibi dona facit.*
Gentis vera tuæ sunt hæc præconia, Erasmus
Quæ Patruus meruit nomine req; tuus.
Sunt hæc Virtutum Calcaria, Carole, *quæ si*
Arripis, antiquæ Gloria stirpis eris.
Principium spem dulce facit: crescentibus annis
Virtutum in puro pectore crescet amor.
Nulla Aquila imbellem genuit generosa Columbam;
Ergo perge tui carpere Patris iter.
Sic posthac alios generes, vestigia carpant
Qui tua, Lichtstenium *perpetuentq; decus.*

Dent

Dent Sociam modò fata piam tibi, deniq; talem,
Quæ non sit sterilis, non inimica tibi.
Vivat iò, Vivat Gens Lichtenstenia: vive
Carole care Deo, Carole care Bonis.

IN MORIONEM PICTVM cum inscriptione:

NOSCE TE IPSVM.

QVid mirũ, dico quòd Morio: Nosce Te Ipsum?
An nescis, Fatuos nil nisi vera loqui?

DN. ERASMO NEVSTETER, Equiti Franco, nobilissimo literarum ornamento.

TE Decus Aoniæ memorant Floremq; coronæ,
Ipse canit laudes Phœbus Apollo tuas.
Et meritò: nam vita tua est, dare tempora Musis,
Cumq; viris doctis vivere, summus amor.
Cur igitur Musæ tibi non famulentur Amanti?
Cur tua non docti nomina laude vehant?

IN VOLVMEN EPITHETORUM ab ANDREA CALAGIO collectorum.

QVale antehac hujus generis vix prodiit ullum,
Hic locuples gemino perpete prodit opus.

Condidit hoc pollens prudente Calagius arte,
Vir bonus, & Musâ teste Poëta bonus.
Prò quot Scriptores hac tempestate videmus
Aptandi voces vocibus esse rudes.
Dives egestati est Ipsorum hìc copia rerum
Facta arte eximiâ, facta labore gravi.
Iudicium accedat, sine quo discrimen habebunt
Nullum, quo ponant illa vel illa loco.
Qui nihil in nostris hoc proficit artibus ævo,
Hic Brutus: lux an clarior esse potest?
Nunc inventa bonis tot sunt compendia rebus,
Et plana ad quævis Scita recluſa via est.
Discè puer: cupidis Deus omnia pandit Alumnis:
Turpe est, concesso munere nolle frui.

IN GALLVM IOCVS.

NOmine mollis Anus, sed amœnâ fronte Puella
Te furti accusat Galle: quid istud erit?
Galle quid istud erit? Manicæ quin ingere dextram,
Quod tibi conveniat non bene, forsan erit?
Exime Galle manum: cujus Mantile, quod hìc est?
Convivam furti non decet esse reum.
Galle Puella Dicam tibi scribit: adesto, Puellæ
Redde suum, nisi vis in cruce Galle mori.

HENRICO STEPHANO CÆS. Consiliario, Fiscali in Camera Vratisl. ad cœnam.

Certa-

CErtamus, sed non poclis: certamus amore:
O Stephane, ut vincas nos in amore, redi.

IN HARMONIAS PHILIPPI de Monte, Chori Musici Cæsarii Præfecti.

SI quis erit (Momis ceu totus perstrepit orbis)
Qui numeros carpat, cane Philippe, tuos:
Hujus ego miserebor, utroq; ut lumine capti:
Nam, quod quisq; videt, non tamen iste videt.
Quæ carpit, sunt sacra Deo, sunt auribus apta
Cæsaris: an nulla his Ars placuisse Diis?

IN PERSONATVM Bibulum.

PEr Vitam juras, per vittam pocula siccas:
Fumida vitta tibi est, humida vita tibi.

MEL. TILESIO ILL. GYMNASII Brigensis Rectori.

IVdice me parvum spondes Epigramma Tilesi;
Sæpe sub angusto carmine multa latent.
Ast aliud audi: nuper mihi Phœbus in aurem,
Succensere tibi se vehementer, ait.
Vrgeo, quid causse? quia se non pangere scribit
(Ille refert) visu carmina digna tuo.

IN

IN HYPOCRITAM.

Sub Sole, vin' verbis ediſſeram tribus,
Quæ Beſtia omnium ſit atrociſſima?
Hæc ſcilicet Dæmon quidam incarnatus eſt:
Monſtri quid hoc? quid portenti eſt? Hypocrita.

IOCVS IN NOMEN.

Ioach. Tschernin (quod Boëmis Nigrum ſonat) Viri nobiliſsimi.

Albus ut ex nigro fias, Ioachime, venito:
Talia ſi renuis balnea, neuter eris.

IN INSIGNIA NOBILISSIMÆ FAMILIAE VVERDENSTENIAE,

In gratiam Ioan. Georgii à Vverdenſtein.

Nemo miretur, Gens Vverdenſtenia *in armis*
Oſtentet Leporem quòd generoſa ſuis.
Non pavidos alit illa animos, aluitve; ſed uſu
Armorum eſt celeri nobile nacta Decus.
Cur pulvinari Lepus inſidet? arma ſequuta eſt
Geſta manu celeri longa & honeſta quies.

IN

IN EPHEMERIDES
M. DANIELIS ADAMI TYPOGRAPHI & Senatoris Pragensis, Viri doctissimi.

IGnorare, dies quid nostros ante sit actum,
Est nil plùs, brutum quàm didicisse pecus.
Quòd si laus rara est Fastos evolvere, Fastos
Arte bonaq; fide condere qualis erit?
Hoc præstat DANIEL patrio sermone disertus,
Æmulus ô studii, mitis EBERE, tui.
Civibus ille suis & scitu, & digna relatu
Hoc bene dispositio congerit ACTA libro.
Hîc Procerum invenies ortus, seriemq; Nepotum,
Atq; inserta suis aurea dicta locis.
Hei multi ignorant sese ipsos: Gentis Origo
Nescitur: Patrum nomina, Resq; latent.
Horum animis rudibus DANIEL medicatur ADAMUS,
Solerti evolvens semisepulta manu.
Omnia, quæ Patriæ debet, persolvit Adamus,
Dum juvat ingenio templa scholasq; suo.
Impendit nullam Patriæ qui gratus opellam,
Nomine homo forsan, cætera truncus erit.

IN POCVLVM ARGENTEVM eidem à Senatu Pragensi pro dedicatis Ephemeridibus donatum.

Hoc

HOc veteris Pragæ nostro pro munere Donũ est:
Non omne argentum tale meretur opus.

In Insignia KIRCHBERGERORVM, ANTIquissimæ in Austriá Familiæ, ad Helmhardum K. Dominum in Viehofen, Virum opt. & verè nobilem.

SVnt duo, quæ cujusq; probant Insignia Gentis:
Marte potens Virtus, & simul arte potens.
Virtuti Comes it bene continuata vetustas:
Hæc duo quisquis habet, nobilis ille Vir est.
Gens tua transversim, Kirchbergi candide, binas
In clypeo clavas simpliciore gerit.
Arte tuis parta est, parta est, tibi gloria Marte:
Quid te nobilius, nobiliusq; Tuis?

IN CELEBERRIMAM REMPVB. Argentoratensem.

VBi integra est Fides, ubi Leges bonæ,
Vbi tam decens, tam justus Ordo, tam vetus,
Schola tam frequens, celebris, docta, sedula,
Vrbsne aurea est, vel appellanda argentea?

IN

IN EIVSDEM ACADEMIAM

AD quam docta cohors ex omni confluit orâ
Auctura ingenis artibus ingenium.
Esse putas quâ laude Scholam, quo nomine dignam?
Quales, qui præsunt insuper, esse putas?

IOAN. HILTEBRANDO MECKHERO, Illustriss. Episc. Aichstadiensis Cancellario.

VIvis adhuc Meckhere, mei pars optima Cordis,
O desiderium nobile vivis adhuc?
Vive mei Meckhere memor, quem labilis ævi
Eximet Ingenio nulla senecta meo.

AD EVNDEM

CVr me transgressum leges Epigrammatis ô mi
Meckhere dicis optime?
Vivis adhuc Meckhere mei pars optima cordis,
Exclamat his qui vocibus:
Non rogat, an vivas, quanquâ rogat; at quasi plau-
Edit rogans, te vivere. (sum
Cur me transgressum Leges Epigrammatis ô mi
Meckhere dicis, cùm rogo;
Non rogo; sed miror, sed gaudeo, sed quasi plausum
Edo, esse te te tam candidum.

Qualis

QVALIS ESSE DEBEAS.
ex Seneca.

Cunctis esto Bonus, non blandus & invidus ulli,
Vtere paucorum cautus Amicitiâ.
Firmus in adversis, misereri promtus, ad iram
Tardus, Amicitiæ policitiq; tenax.
Et dum te successus alit, fortunaq; ridet,
Esto humilis: Sorti fidere, cæca fides.

IVSTO LIPSIO VIRO
celeberrimo.

Lecta tua est nobis, LIPSI, CONSTANTIA; (lectæ
Argutiæ sunt cæteræ.
Numen adoramus, demiramurq; profundum
Divini acumen ingenI.
Plura sed exspectant tua nostri Oracla Nepotes,
Quibus imprimant pia oscula.
Nobis redde, Deus tibi quæ dedit, inclite Lipsi,
Per nosq; da Nepotibus.
De Cruce *cumprimis opus admirabile Luci*
(Ne IVSTE sis injustior)
Longiùs invideas cave; ne lux spreta vicissim
Famam premat Nebulis tuam.
Sed te constantem fore rebus in omnibus, ipsa
TUA spem facit CONSTANTIA.

IN

In Insignia,
FAMILIÆ ANTIQVÆ ET CLARISSIMAE LINDNERORUM.

Ad amplifs. & nob. virum TOBIAM LINDNERUM à Grönaich, Patricium & Senatorem VVratisl.

Miles es: arma tibi clypei galeæq; Leonis
Insignita typo sunt, Philyræq; comis.
Vnde? prece aut precio nullo num parta labore?
Non ita. Majorum dat documenta Fides.
Illi Cæsarias Aquilas cum laude secuti
Hoc acceperunt, Cæsare dante, decus.
Martia promeruit Virtus: ideoq; Leonem
Attribui Meritis jussit honora suis.
Sed quid cum Tiliæ foliis, LINDNERE, Leoni?
Gentis ut exprimeret nomina nempe tuæ.
Suavis odor Philyræ est, Florisq; salutifer usus:
Suavis honos Patriæ Gentis Origo tuæ.
Tu tamen an Miles? quid ni? Virtutis es hæres,
Mensq; Leonina est, mens generosa tibi.
Putrescit nullo ceu Stirps Tiliacea seclo:
Sic Generis duret Flosq; decusq; tui.

IN LAVDEM SELECTISS. MVsicorum Cæsaris, & Electoris Saxoniæ: in prandio Dn. Balthasaris Mehl Pragæ certantium, jussu Mecœnatis sui Dn. Bar. Oppersd. recitatum subitò.

Quò rapimur? cœlone sumus terráve recepti?
Hic ego non homines, sed reor esse Deos.

GEORGIO LAVINGERO PATRICIO Augustano, Convictori suo suavissimo, Ingolstadii sub discessum.

Mensa duos aluit nos hactenus una GEORGI:
Ipse locus nobis junxit utrumq; latus.
Vt mensa una fuit, sic mens fuit una duobus,
Illaq; dum vitam duxero, semper erit.
Corpore nunc longis abs te disterminor oris:
Proximus at memori pectore semper ero.
Iamq; vale nostræ pars conjunctissima mentis;
Imperet ipsa licet Mors fera, vivet amor.

IN MEDICVM INSOLENTEM.

Quid mirum, fastu Medicum turgere procaci?
VRINA inflavit (nobilis aura!) caput.

DE SS. ANGELORVM Excubiis.

Ad Martinum Kinnerum à Scherfenstein in VVissag. V. opt.

Sic malus atq; bonus Mortalibus Angelus adstat,
Vt certa incertis sunt, mala mixta Bonis.

Addu-

Adducunt Exempla fidem creberrima, puncto
Sæpe salus uno perniciesq; venit.
Cum liquefecit edax pingues flammá unguine cer.as
Somno Spiritibus te superante suis:
Angelus afflavit nocitur os pessimus ignes,
Hausisset q. tuas, si licuisset, opes.
At rursus, Kinnere, tibi bonus Angelus aurem
Vellit, & admonuit, jam titubasse Lares.
Nec potuit libulam candela vorare papyrum
Vlteriùs, mensæ nec tabulata tuæ.
Sic secura quies dum pectus & ossa pererrat,
Pro nostris vigilat cælica Turma focis.
O mites Superos! faceret si functio munus
Nostra suum: mala Sors nulla timenda foret?

PRO CAMILLO ZANOTTO
Musico Cæsario, in Exordio operis Musici.

VEstra mihi, Musæ, concedite plectra canenti,
Tuq; precor citharam porrige, Phœbe, tuam,
Principibus cano sacra viris: date vota favori:
Principibus laus est nam placuisse viris.
Ergo age, si quid habes, ô tu mea Musica vita,
Incipe: principibus Musica digna Viris.

IN CONVICIATOREM Poëtarum.

QVi fatuos dicis Vates, quis dicis? an ille es,
Quem Fatuum Vates nobilitare solent?

MARTINO GLOGORSIO S. Cæs. Maiest. ab Epistolis, ob Natalem, in prandio recitatum:

NOmen, Amice, tibi quodnam? dic, comprime ri-
Quæro, sit hæc cujus nomine festa dies? (sum:
Subrides, mussas Martine: sed excidit ore
Vox: an Episcopium tu quoq; nomen habes?
Nomen habes illustre, decens, memorabile, magnum,
Quod toti hac Mundo gaudia luce parat.
Illustrem Loculum, Vinum memorabile, magnum
Prome Scyphum, atq; decens quære Sodalitium.
Aut cultus celebri dignos impende Diei,
Aut te Martini nomen habere nega.

NICOL. RHEDINGERO à STRISA Patricio VVratisl. Viro nobilissimo, & doctissimo.

MAgnus es ingenio, Virtuteq; magnus, & arte:
Fortunæ tribus his addo faventis opes:
Hæ quia sæpe nocent Musis: Tu maximus esto:
Qui dives, sed non Impius, aut rudis es.

IN

IN CENTONES HENR. MEIBOMII Poëtæ Laur. Acad. IVLIAE Professoris.

VIrgilii ex auro constructerat arte catenam
Centonum insignis carmine Meibomius.
Tantæ Fama rei Manes ubi venit ad imos;
Ausonius, *quis homo me quoq; vicit? ait.*
Audiit hoc, risitq; Maro divinus, & inquit:
Tantum est Iudicii lumen in Ingenio! „

PATIENTIA MEDICINA.

EST Medicina animi Patientia: cura quid urges?
Victorem hæc faciet me Medicina tuum.

AD LAVRVM CVM coronaretur.

LAure ô Laure virens æterno floris honore,
Laure potens Ianitrix moderãtis Cæsaris Orbẽ,
Laure sacratorum stans ante palatia Regum,
Laure triumphantis signum memorabile Martis,
Laure salutarem latè quæ spargis odorem,
Laure comâ cujus redimitus Apollo superbit,
Laure Novenarum sacrata Corona Sororum,
Laure verecundis flos optatissime Nymphis,
Laure Iuventutis Flos & simul utile calcar,
Laure parans castis decus immortale Poëtis,

Laure ô Cæsario quæ tuta viresçis in horto,
Serpito Cæsariis circum mea tempora Baccis.

IOAN. RVCARDO MED. & Poëtæ, Podagrâ laboranti.

QVam bene culta valent pedibus tua Carmina Iane:
Tam bene vos firmi corporis este pedes.

AMICORVM DELECTVS.

OPtas si placido penetrare pericula cursu
Circumsepta vafris undiq; blanditiis:
Nec tibi sit, quicunq; aliquis sibi nescit Amicus
Esse, nec ille, nimis qui sibi Amicus erit.
Nulli te nimium nulli te junge Sodalem:
Vilescit nimiis usibus omnis Amor.

IOAN. VVENCESLAO VVENZElik à Sarabiz, Domino in Tritscht, & Vvizelniz, Equiti Moraviæ nobilissimo & literatissimo, sub discessum.

QVæ Respõsa feram tibi, Vvencesilae, meũ Cor,
O Iuvenum Flos, ô Nobilitatis honos?
Hæreo: lætitiaq; stupet cor, & ebria mens est:
Vix mihi nunc viso factus es ecce Deus.

Et

Et te non venerer, te non exoſculer, & non
Devoveam Muſis nomina tanta meis?
Spiritus antè omnes animâ ſeduxerit artus,
Labatur noſtro quam tua corde fides.
Dulce tuum grato nomen circumferet ore
Poſteritas propter nomina Frencelii.
Vive diu: ſed quid jubeo te vivere, nullo
Quem ſinet Aonidum tempore Fama mori?
Conatus pia fata tuos & Vota gubernent,
Corda verecundæ caſta regantq; Deæ.
Svspiras? An *Non Anima eſt, tua* Iane, Svsanna?
Eſt, erit at poſthac proximiore gradu.
Eventura precor. ſed tu mea gloria ſalve,
Salve iterum, atq; iterum, Vvenzeſilae, *vale.*

LITERARVM CONTEMTVS.

TEmpus erat, panis doctâ quando arte careret:
Nunc ars (vah tempus nobile!) pane caret.
Patria dat vitam: haud ſemper dat patria victum:
Patria cuiq; ſua eſt, eſt ubicunq; bene.

INIVRIÆ FERENDÆ.

REs famamq; tuam quoties injuria carpit,
Cur animum offenſum, quiſquis es, Ira coquit?
Tene hujus ſecli Comites, Iudæ oſcula, riſus,
Scommata, technæ, artes, inſidiæq; latent?

Dic, quos non fortis Patientia straverit hostes?
Dic impune diu quæ stetit Impietas?
Aut igitur vim disce omnem superare ferendo;
Posse sibi aut seclum dissimile esse proba.

M. GEOR. ISINGIO V. DOctiss. ob Sobolem.

QVanta Dei Bonitas, Sapientia quanta Georgi?
Quanta est Iustitia & gratia? quantus amor?
Tempore penè uno Natam abstulit ille, aliamq;
Isingi *thalamo reddidit ille tuo.*
Esthrę illi nomen, dicta hæc Catharina *venustè est:*
Vivit ut illa Deo, vivat & ista Deo.
Discat amare Deum primis Catharina *sub annis,*
Pura sit ante homines, purior ante Deum.
I nunc atq; feri funebribus astra querelis:
Non adimit, quod sic datq; adimitq; Deus.

IOANNI RVCARDO MED. ET Poëtæ: ex Arce Trisch.

ET Vates, & Vir salve inculpate: Viennâ
Huc bona Frencelium *detulit aura tuum.*
Non illi ad patrios properandi caussa penates,
Sed nec visendi te quoq; caussa deest.
Hos etenim vellem cùm prætercurrere fines;
Talibus objurgans vocibus insit amor:

Tune

Tune tuum propter dispendia pauca Rucardum
Prætereas, cujus tam benè nota fides?
Iamne Rucarde *vides, cur me vicinia rursum*
Hæc habeat? pietas flexile vicit iter.
Ergo, quem propter tot passus acerba fuisti,
Si qua eius superest cura, venito foràs.
Dum licet, aspectu præsentiq; ore fruamur:
Nam quid Amicitiâ dulcius Orbis habet?

IN EFFIGIEM IOANNIS STVRmii, Viri de Repub. literariâ optimè meriti.

QVisquis in hanc torques oculos, Lecture, Tabellam
Te scito Europæ totius aspicere.
Immortale Decus. viden' ut venerandus in Ore
Splendor, ut in Labris Suada diserta micet?
En hic cernis eum, per quem Germanidos oris
Ille reviviscit Tullius, ore potens.
Cernis eum; cuius canis aspergit odorem
In vultu gravitas, pectore aperta fides.
Sturmius hic. nomen nosti. quid plura? Vir ille
Quantus, Arar, Tybris, Rhenus, & Era sciunt.

ITER MATVRANDVM.

DIsce ssure times Valles jugaq; ardua? sed cur?
Exsupera portæ limina: plana via est.

DE LEONE ILLVSTRIS FAmiliæ Knipenhusiæ.

IN GRATIAM GENEROSI Dom. ICONIS, Domini in Inhusen, & Kniphausen, Baronis in Eller, & Vogelsang.

VInci non didcit, sed victis parcere victor,
Hinc meritò Heroum factus Imago, Leo.
Hac Patrum Scutis, Gens ô Knipenhusia, gaude:
Virtutem & laudes exprimit illa tuas.

GENEROSIS ADOLESCENTIbus, D. D. NICOLAO & ZDESLAO HRSAIN ab Harass, Boemis, Fratribus Germanis.

IN IPSORVM INSIGNIA.

HRseinia Gens regno non est obscura Boemo:
Namq; Atavum longis claret imaginibus.
Simplicitas Clypei, triplex discriminat infra
Quem color, antiquæ symbola gentis habet.
Nempe graves animos facies nigra, rubra modestos,
Candidaq; ingenuos per data signa notat.
Pallas amat Cristas, & Mars. ô nobile Fratrum
Par, quod te exstimulet, quodq; imiteris, habes.

IN

In Effigiem

NOBILISS. ET DOCTISS. VIRI GEORGII à VVERDENSTEIN, &c.

EXhibet hac Tabulâ sua Vverdensteinius *ora:*
Aspice, quam fronti Gratia mitis inest!
Omnia in hoc sunt dona Viro dignissima laude:
Stirps vetus, Ingenium nobile, Mensque bona.
Totus in Aoniis est Artibus; inde parabit
Immortale Suis post sua fata Decus.
Vivat, & hanc faciem canis exornet honestis
Dignus Amore hominum, dignus amore Dei.

IOANNI MENZELIO, MED. Doctori, Reipub. Glogovienſis Phyſico.

TE, bone Menzeli, *chartis oneravimus udis:*
Vxoris sed tu lina remittis opes.
Sponsa tibi molles mea dicit Amandula *grates,*
Quòd sua tam molli tegmine membra foves.

IOAN. COCORIS á Camenez.

SAlve nobilium decus virorum,
Ofor Nobilium proterviorum,
Qui jactant rude Nomen, omen actant
Larvarum Speculis, leviq; cerâ;

Quorum

Quorum vel pudeat Patres, Avosq́ꝫ:
Salve Iane Decus Cocorsianum,
O mi Iane iterum venuste salve.
Quis te quis jubeat Poëta salvum,
Nescis? est Salomon *tuus Poëta.*
(Nì sum, dispeream, tuus Poëta)
Longum emensus iter, viasq́ꝫ duras
Nuper salvus in has redivit oras,
Et mox desiliens Equo rogavit,
Quî Cocorsius optimus valeret?
Ille optabilius nihil, nihilq́ꝫ
Habet dulcius hoc sereniore
Cœlo, quàm propero advolare cursu,
Complectiq́ꝫ decus Cocorsianum,
Et de siderium suâvitate
Explere alloquii, fidemq́ꝫ sanctam
Consuetudine comprobare gratâ.
Non semper locus unus, unaq́ꝫ ora
Nos jungent, dabis ergo quid, Cocorsi,
Locis tam prope, mentibusq́ꝫ junctis.
Nec tecum queo (triste ô triste fatum)
Nec possum sine (dulce ô dulce Votum)
Te, dico, sine vivere, ergo Iane
Ad te, nì renuis, movebo gressum.
Vivas, Iane, *utinam! videbis ille*
Quanti te faciat tuus Poëta:
Sed qui plus cupit esse, quàm Poëta,
Hoc est, dicere rem, simul probare.

SPVR-

SPVRCITIES MORVM IN HOmine literato.

Quem morum levitas scurrilibus implicat ausis,
Sit licet ingenio magnus, & arte potens:
Ecquid is est aliud, quàm formosissima Virgo,
Destituit luxu quam vitiante pudor?

DE EADEM

Vidi ego non paucos decus immortale mereri,
Doctrinæ ediderant qui documenta suæ.
Non ita pòst vitare Bonos commercia vidi
Illorum, & pariter deposuisse Libros.

IN LIBELLVM φιλικὸν.

IOAN. CUNERI Palatini, Ill. Dominorum à Lichtenstein, Baronorum Austriacorum Præceptoris.

Etsi verus amor per nulla oblivia mortem
Oppetit, in flammâ fervidus usq; suâ:
Sæpe tamen nobis decurrens excutit ætas
Nomina Amicorum, dum retinetur Amor.
Sic veluti dulce est meminisse; ita rursus acerbum,
Oblitum cari nominis esse Viri.
Illud acerbum uno fas est vitare libello:
Illud dulce uno conciliare modo.

Hic

Hic ille est, tibi quem commendo, quisquis Amicus
Incertâ es certus sorte, Libellus: age,
Congrua si cordi loqueris, tua nomina scribe,
Sic cordi inscribam teq; Tuosq; meo.
Laudet Amicitias alius versatilis ævi
Syllabicas: vincit me genuinus Amor.

VVENC. PLACELIO ET PETRO Capellæ Vu. doctiss. in Ingressu Hradecii.

Forsitan ingratus, gratus quoq; forsitan Hospes,
Qui salvere jubet vos peramanter, erit?
Attamen ille venit, dicitq; diserte PLACELI,
Salve, & tu Patum Petre Capella Favor.
Hospes adest visurus, an hæc Urbs Regia verè
Vos præter majus possit habere Deus.

ALIENA MALA GRAVIORA.

Tv casus metire tuos gráviore ruiná,
Et, graviora tibi damna deesse, scies.

ILL. D. IAC. CVRTIO à SENFTENau, Cæs. Consil. intimo, &c. ob Sobolem.

Tvm spes Agricolæ mentem vultumq; serenat,
Cùm seges ostentat luxuriosa caput.

Est

Est eadem Fortuna Patrum: spe quilibet ardet,
Qui sua non sterili semina credit agro.
Hinc quam lætitiæ Segetem Segetem tibi Prolis
Gignere in erectá non tibi mente putem?
Semina nulla negat, Curti, tibi fertilis Vxor,
Munera nulla Deus, pignora nulla torus.
Ergo quòd es quartá nunc auctus prole SEBASTO,
Gratulor auspiciis, fauste IACOBE, bonis.
Filius hic si te referat Virtute, quod opto,
Ingenio, formá, conditione, sat est.
Nec dubito: quia, quòd facili illum provida partu
Enixa est Genitrix (fertur ut) omen inest.
Sint sortes illi faciles, facilisq; Minerva,
Sint faciles animi, sit facilisq; Deus.
At tu perge toro committere semina: cœlo,
Si bene succrescent Germina, Messis erit.

Ad
IOAN. SEPTIMIVM, ET CAROlum à Lichtenstein, vetustissimos Austriæ Barones.

SEptime nomine, sed nulli virtute secunde,
Tuq; verecundæ, CAROLE, care Deæ:
Gratia Musarum si vobis ulla superstat,
Quæ vobis dotes exhibuere suas.
Audite ô pro me facientem verba GUILELMUM,
Et sinite ipsius pondera ferre preces.

Non

Non meritus, fateor, tanti sum munus Amoris:
Sed vos conatus exstimulate meos.
Fortunis aperite meis hoc munere portum:
Hæc pietas fructus est habitura suos.
Tanta celebrabunt memores benefacta Camœnæ,
Vestra ubi jam dudum corpora pulvis erunt.
Quod petitur, dignum est Majoribus: Ejа age votis
O par Heroum dulce faveto meis.
Tempus erit, quando fuerit tibi summa voluptas
Frencelii manibus fata levasse tuis.

AD ILLVSTREM BOEMIÆ Baronem, de Filiis in Academiam mittendis.

OMnia nunc florere vides, ô Adame; quid obstat
Quò minùs & Sobolis floreat ingenium?
Quàm tepidis æstas citò transit Solibus, ætas
Tam citò prima, magis non revocanda, fugit.

NICOLAO REISNERO I. C. Consiliario Vimariensi, ac Professori Ienensi.

STigelii dudum SALANA *Academia Vatis*
Morte vacaturo carmine clara fuit.
Nunc ea REISNERO *se jactat Vate; satumq;*
E cerebro Phœbi judicat esse virum.

Et

Et rectè: Phœbo nam digna Poëmata pangit:
Hinc par Peligno creditur esse Seni.

IN EIVSDEM INGENIVM.

Bellus es Orator, bellus Sophus, atq; Poëta,
Consultus Iuris bellus, & egregius.
Invideat, quicunq; volet, bellus tamen es Vir,
Bellus es ingenio, corpore bellus homo.
Declamus bellè Reusnere: agis omnia belle;
Vis dicam, quid sis? hercule bellus homo es.

OMNIBVS AD NVTVM.

Si possem ad placitum cujuslibet omnia rerum
Momenta Eventu nobilitare bono:
Si scirem ad nutum cujusq; refingere mentem;
Nemo mihi toto par, reor, Orbe foret.

In Hortum
LAVRENTII SCHOLZII, MEdici VVratislavienſis. V. CL.

Iam pridem assertum est, unam non omnia terram
Ferre, quod an liceat credere, FLORA *refer.*
Scis, reor, herbosum quod SCOLZIUS *ille theatrũ*
Struxerit auspiciis, Diva venusta, tuis:
Scholzius Aoniæ decus immortale coronæ,
Artis Apollineæ Gloria, Gentis honos.

Hic penè innumeris consevit floribus hortum
Et studio, & genio perpete, & arte novâ.
Delitias quas sola priùs Saturnia tellus
Totaq; terrarum dives Alumna tulit:
Has unus nutrit, colit has Laurentius hortus,
Quottidieq; novas ornat & auget opes.
Quoquo oculos vertas, magnæ Miracula Matris
Obvia sunt, visu dulcia, plena Deo.
Vt dubites, an sit dicendum: haud omnia tellus
Fert una: hoc prohibet Scholzius arte suâ.
Plantarum per eum Soboles exotica vivit,
Æternùm in plantis vivet & ille suis.
Quicunq; ingrederis formosæ mœnia Breslæ,
Scholzi delitias quære, videbis opes.
Quòd si oculos per cuncta feres cum pectore, dices:
Scholzius Italiam transtulit in Patriam.

NICOLAO à BVRGHAVS in Stolz, Viro nobilissimo.

FAMÆ INTEGRITAS QVANTA?

FAma expers Maculæ pluris, quàm mille talenta,
Est integris vitæ viris.
Hæc tibi, BURGRHUSI, *in calamo Sententia & (ore*
Ni fallor, est creberrimè.
O si omnes tecum facerent, Reverentia major
Locusq; virtuti foret.

Consur-

Conspurcata sed hæc Mundi heu sordibus Ætas
Est omnium teterrimis.
Ecquid opus facto? moniti meliora sequamur
In SPE bonâ, & SILENTIO.

De Iambis Puris
IANI DVZÆ, VIRI ILLVstris, ad Ioannem Posthium, V. CL.

QVæ mihi misisti puri purissima vatis
Vidi lubens Munuscula:
Munera vel potiùs, quæ sic placuere, stuporem
Incusserint ut maximum.
Quod sit opus puros tam purè condere Iambos
Conando, Iane, comperi.
Qui DVZÆ puros tantâ arte sequetur Iambos,
Dicam Poëtam Principem.

PAVLLO GITSCHINIO, de nato Filiolo.

ASTRA recensnato faveant tibi, Caspar, & omnis
Natura auspiciis sit, precor, æqua tuis.
Ex Patris Ingenio Virtutum imitamina carpe,
Matris & exemplo jussa verere Dei.
Morigerâ qui mente Deum colit atq; Parentes,
Canities ejus cinget honora caput.

CONSILIVM OBSCVRI.

Consilium ne sperne inopis: sapientia namq;
Sæpe sub obscurâ lucida veste latet.

IN GERMANOGRÆCIAM Martini Crusii. V. C L.

Qvi studium Ausonio Græcum non jungit, Alu-
Hunc non agnoscit Divus Apollo suũ.(mnum
Cui Musas Latiis Grajas conjungere cura est,
Hoc accurato pectore volvat opus.
Græcia trans Alpes nec ei corrupta petatur:
Alpes hanc dudum transvolitasse sciat.
Hìc è barbarie sedes sibi rapta perennes
Doctorum insigni Græcia fixit ope.
Crusius hos inter bonus Auxiliator & acer
Auxilii posuit publica signa sui.
Hìc struxit variis halantes floribus hortos,
Per quos tota novum Græcia carpit iter.
Teutona nunc igitur Germanogrecia tellus
Dicitur: ô quantum Crusius ursit opus.

IN EANDEM.

Insidiata tuæ priùs audaciſsima Famæ
Barbaries, vitæ nunc parat exitium.
Causſa tua est, Crusi, Germanogræcia: namq;
Quò venit hæc, Meretrix inde proterva fugit.

Ergo

Ergo, semianimis quæ per te facta, necetur
Deniq́, ne vires colligat atra suas:

IN EFFOEMINATVM.

Esto Vir, haud Mulier, cui forma virilis & ætas:
Mundum linque alijs: nam sua quemq́ decēt.

ANDR. KEMPELIO AVSTRIO, Tubingâ abeunti.

Ergone Natales, me absente, redibis in oras,
Nec coràm fas est ingeminare: Vale?
Qui mihi Kempeli *(nec enim te, credo, pudebit)*
Iunctus eras lecto, fœdere junctus eras.
Quæ te causſa adigit Brumali carpere longam
Sole viam? num te Musa Venusve trahit?
Si Musa; in Patriam quid abis, cum clara Tubinga
Aonii Sedes sit veneranda chori?
Si Venus; à Suevis quæ distrahit ira Puellis
Te, cujus formam prædicat ipsa Venus.
Musa Venusq́ favent: quid te avocat ergo Tubin-
Cura Patris, Patriæ Munia, Matris amor. (gâ?
Audio: vade igitur, Phœbo Ductore: Parentum
Gloria, nec Patriæ dedecus esto tuæ.

FAMÆ IACTVRA.

Non gravior jactura, boni quàm Nominis, ulla
Hæc desperati Mors inhumata Viri. (est:

ENCOMIVM MELH. GERlachii Senioris.

ESse velis quantus quantus quoq;, maxime Livor,
Ecquid Gerlachio *de* Meliore *putas?*
(Noxia namq; putanda) Vir hic si noxia vitæ
Attraxit; Livor laudo tuum arbitrium.
Sin aperire Scholas, & dogmate fundere templa
Salvifico est ipsi res quoq; grata Deo:
Nonne tuo arbitrio cadis audaciſſime Livor,
Et quid Gerlachio *de* Meliore *putas?*

AD MECOENATEM SVVM Dom. Bar. GVIL. ab OPPERSDORF, Legatum Cæſarium, ex Ducatu Vvirtenbergico Pragam redeuntem.

INgredere Heroum ſate ſanguine mœnia Pragæ
Salvus, & hinc Patriæ ſaluus in arva redi.
Quos ego nunc plauſus edam? quæ jubila fundam,
Quòd longum incolumem te mihi reddit iter?
Eſſet inarſurus quantus dolor oſſibus imis,
Si mihi te caſus lethifer eriperet:
(Di prohibete malum) pertentant gaudia mentem
Te, Guilielme Pater, ſoſpite tanta meam.
Terra tibi faveat, faveat clementia cœli,
Omniaq; ut faveant, ipſe Deus faveat.

AD

AD EVNDEM.

G audia quæ fundam? G eminē quos pectore G rato,
V t decet, assultus? V nde ô satis efferar? V nde
I ubila digna satis I ucundo Carmine Iactem?
L ongum emensus iter L ætâ quòd fronte, Labores
I mpiger ad quosvis, I pso comitatus I ësu,
Et Iuvenum cœtu E gregio remeaveris, h Eros,
L ittora ad hæc Muldæ L abentis flumine L eni
M agne meis Musis Mecœnas, Spes bona Martis?
V t læto excipio, V ir te fortissime, V ultu!
S is faustus, felix, S aluusq; in secula: Sūma est:
Vivat *honos*, *corpus* Valeat, *tua Gloria* Crescat,

Symbolum

ILLVSTRIS ET PIENTISS. MAtronæ, Dominæ SVSANNAE, Comitissæ ab Hardeck, Mecœnatis sui, Generosi Domini, Dom. GVILIELMI ab OPPERSDORF, Lib. Baronis, Coniugis suavissimæ.

Wie GOtt wil / ist mein Ziel.

Collimat quocunq; Dei irrevocanda voluntas,
Illic fixa animi Meta Scopusq; mei.

CERTAMEN INTER AMICOS
propositum in prandio, ut versus iste
sententiosè suppleretur:

Dat veniam Cor- —.

DOCT. VVENZ. RAPHA-
nus Med.

D*At veniam Cor his, veniam qui corde fatentur.*

M. HENR. POLANVS,
Synd. Oppavien

Dat veniam Cor his, qui me læsere protervè.

IOAN. FROBENIVS
Civis Nissensis.

Dat veniam Cor eis, quibus est in pectore Candor.

SAL. FRENCELIVS.

Dat veniam, Cor Vis *cui Iuris frangit, Amico.*

EIVSDEM.

Dat veniam Cor eis, quos vitæ pœnitet actæ.

SCHOLARVM VTILITAS.

M. MART. LANGAEO, Scholæ Vratisl. Collegæ.

Q*Vanta Magistratum subeundo munere rerum*
Cura premat, quantâ mole fatiget onus?
Verior hei nemo est, ea quam Respublica testis,
Disciplinarum Gloria cujus Amor.

Hæ

Hæ populi flores: quibus at plantantur in hortis?
An non hic labor est curaq; sola Scholæ?
Non hara dat doctos Aræ, non caula dat Aulæ,
Vendicat hanc laudem sed Schola sola sibi.
Hæc evertatur, nec caula, nec aula, nec ara,
Non hara, non stabit Iudiciale forum.
Videat hæc quicunq; volet Centaurus agrestis;
Ordo Scholis vitæ pluribus omnis eget.

ACADEMIA.

MVndum non vidit, qui non, Academia, vidit
Te, tua Iura, artes, gaudia, sceptra, viros.

NICOL. A FRANCKENSTEIN, Viro nobili, de novo Anno.

QVem Genus evexit, Virtus ornavit, Apollo
Erudiit, ditat Sors bona, Christus amat.
Quid precer huic ultra, nisi tempus molle? tibi annũ
Franckfteni hunc Author sospitet ergo Deus.
Ast ego quid tempus tibi subjicio fluidum, quem
Stirps, Virtus, Phœbus, Sors, Deus Ipse fovet?

DOM. BARONI CHRISTOPH. à Schleiniz, Cæs. Legato secundò.

PRima peracta via est, obeunda secũda secũda est:
Complector paucis multa: secunda precor.
Te pietas tollat Schleinizi, nulla potestas:
Vota secunda solent fata secunda sequi.

PETRO PORTIO SYMMIstæ Argentinensi.

POrtam aliis monstras Petræ cœlestis apertam:
Cur igitur nolis Portius *esse* Petrus?

FRIDERICO MARTINI Professori Ingolstad, IC. excellentissimo.

FErcula tot, tot aves lautis apponere Mensis,
Hæcne Actæa tua est Cœna vocanda mihi?
Excessit Medicina Modum: quid culpa meretur?
Pœnam, si tamen est culpa vocandus amor.
Quam meritus pœnam es? tot grates, quot tua lectis
Lauticias posuit gliscera Cœna cibis.
Tot grates, quot aves gestarunt undiq; plumas,
Orbis heri mensæ queis oneratus erat.
Quid magis exposcis Friderice *? tot offero grates,*
Quot pepigi, & pangam metra deinde; satis?

IN LVPVM BELVAM Furacem.

ME licet allatres gannitibus improbe diris,
Osq; theoninis morsibus exacuas;
Nil moror: ecce illam tibi nunc ego pernego famam,
Quam cupis in libris enituisse meis.
Nam quo jure æquum est, illum inclarescere mundo,
Est qui Cimmeriis sordidior Nebulis?

Es

Es niger, es mendax, vafer, aridus, invidus, es Fur:
Hæc Fama, hæc tua Laus, hic honor esto tuus.
Non tamen his deerunt regionibus unus & alter,
Lustrabunt pellem qui, Lupe fœde, tuam.
Venandi Autumno tempus: quàm dulce futurus,
O Lupe mi, nostris prandiolum es canibus!
Digna Lupo hæc Merces: sed ego, quia Belua tantùm
Ungues à scabrá detraho pelle meos. (es,

IN SYLVANVM SVPERBVM.

Sylvanus pauper fuit, & surrexit in altum:
Vt rueret, scalam ascendit, & ecce ruit.

VIVIS AQVAM, MORTVIS VInum. Hei παροίμιον!

VT vivis debentur aquæ: sic vina sepultis
Ventre: bene hoc pisces scilicet amne natãt.

NON OPINIO, SED DOCTRINA.

Samuele Reinhardo Brigensi, Liberalium artium Magistro creato.

REinhardo Aonii Princeps Sophia inclita Regni
Straverat ad summi culmen honoris iter.
Sæpius hoc Reinhardus iter neglexit, & hinc est
Ingrati visus crimen obire viri.

Expo-

Exposuit causſam mihi divus Apollo roganti:
Segnities non hæc est Samuelis, *ait.*
Bestia sed stulti dissuasit Opinio *Vulgi*
Dulce Magisterii munus obire novi.
Inquit enim: non floret honos, qui floruit olim,
Voce Magistrorum dum latus omne strepit.
Clarus eris, si doctus eris: caruisse Magistri
Nomine. laudatæ est nunc gravitatis opus.
Audiit hæc Sophia, irato sic pectore fata:
Bestia cum vulgi fece recede procul.
Noster honorato Reinardus *nomine crescet,*
Et sine te clarus, te sine doctus erit.
Quos dicis strepere, es tu quondam enixa Magistros:
Gens mea non quovis invenienda loco est.

MVSICA,

IN GRATIAM REVERENDI Dom. IOANNIS NVCIS, Abbatis Iemielnicensis, Musici excellentissimi.

HArmonicum quicquid terris, & in æthere magno est,
Musicum id, atq; hinc est Musica sacra Deo.
UT REsonet, MIrè FAveat, SOLvatq; LAbores
Musica, Vis Sola In Cordis Amore latet.
Musica noster Amor, quem non pia Musica mulcet,
Est Adamas, Truncus, Bestia, nullus homo.

M. MI-

M. MICHAELI REICHARDO Professori VViteberg. V. CL.

MVsicus es, Reichardo, bonus, Citharœdus amœ-
Es bonus Orator, deniq; Vir Bonus es. (nus
Mirarer tot dona, Ratisbona ni tua nollet
Patria: tota bona est: cur? parit illa Bonos.

GAVDIA MARTINI.

Ad Martinum Kinnerum Podagrá captum.

GAudia Martini redeunt; pia vota redite:
Fulta etenim est vestro robore Dextra Dei.
Sume hilarem, Martine, diem, seu præstat utriq;
Seu negat officium sancta Podagra pedi.
Contemtu egeritur dolor, ardescitq; dolore:
Ergo hodie nomen propter ovato tuum.
Sic, Martine, tibi toties hæc festa returrant
Gaudia, tu quoties fers pia vota Deo.
Sic numerum excedat series, & plena decore
Canities Soboli det documenta tuæ.
Sic fastis pergas rerum successibus uti,
Invidiæ frustra virus alente suum.
Hæc precor; & quoniam tibi copia defit eundi,
Vt pedibus valeas, hos tibi mitto pedes.

IOAN. STVRMIO. V. CL.

QVòd Parcæ parcant tibi STURMI longiùs, inter
Tot curas, & tam multiplices operas:

Haud

Haud miror: nam cur non parcant longiùs illi,
Quo rapto Ingeniis tot raperentur opes?

IN STVRMIANVM.

VItam quid faciat ſuäviorem
Hoc ævum tibi ſub ſenile, STURMI;
Vidi nuper agro tuo receptus.
Altis conſpicienda ſtat columnis
Domus, quæ Dominum ſuum tuetur.
Hanc circumdat amœnus hortus, ipſa
Quem quis Caſtalidum vocare poſſit
Tempe. hìc veris opes, & alma Bacchi
Surgunt regna, nitetq; flore tellus,
Et dulcem modulantur ore cantum
Aves, quam cupias ſuäviorem
Hoc vitam tibi ſub ſenile tempus?

DE TRIPLICI HOMICIDIO

Diſputanti Friderico Gryphio Ingolſtadii, Præſide Friderico Martini, I.C. CL.

FAtalis propiùs quò terminus imminet Orbi,
Illaq; Iudicii mœſta hilarisq; dies:
Hòc magis humanæ creſcit petulantia Gentis;
Hòc inſtauratur crebriùs omne nefas.
Non ſat, Fortunæ Bona vafræ obnoxia fraudi
Eſſe, ſalus vitæ non bene tuta magis.
Nunc hìc, nunc illinc fœdatur ſanguine ferrum;
Quoquo oculos vertas, omnia cæde madent.

Vir

Vir minimè est, qui non alium ad sua provocat arma;
Fœmina, qui non mox ense vocatus adest.
Quid caussæ? Ebrietas: hæc cùm se in pocula miscet;
Belua sit, fuerat qui modò sanus homo.
Nec tamen (hei crudele genus!) cum sanguine pœ-
Exposcit semper Iudicis ira gravem. (nam
Connivet: sceleri Regina pecunia Larvam
Induit: hinc vis pro lure tuetur opes.
Altiùs hæc utinam versarent pectore Legum
Custodes, quorum est recta probare foro.
Te verò, Gryphi, Legum studiose bonarum
Astræa insigni laude per astra vehet:
Præside quòd docto Legum è penetralibus audes
De triplici Iuris Cæde probare modos.
Digna Scholis res; digna foro; Tu dignus amore es;
Dignus at æterno Præses honore tuus.

EIDEM.

PRæside FRIDRICO FRIDERICUS *disputat*
Tot lectos Iuvenes, conspicuosq; Patres. (inter
Quòd si percurret vestigia Præsidis hujus;
Quid mirum, si pòst hic quoq; Præses erit?

AGRICOLÆ ELEGANTER DOcto inprimis græcè.

NVllus Amicitiæ tecum intercesserat usus:
Grata tamen nostræ Lux hodierna Spei.

Vespera

Vespera jam veniet: nobiscum, Petre, maneto;
Perge nec ingenium dissimulare tuum.
Petre lava, cœna, gaude, ride, bibe mecum:
Omnia nempe potes Petre; venustus homo es.

TACITVRNITAS.

NOn homo, deterior Brutis animantibus ille est,
Qui nescit linguæ subdere frena suæ.
Quisquis Amice sapis, digito compesce labellum:
Exitio nulli conticuisse fuit.

GEOR. POLANO MVSICO excellenti.

NVper ut Oppa tui discrimina consona cantus
Audiit, est tales visa referre sonos:
Vos Reges alii Vndarum mihi parcite parvæ:
Musica non vestris sola triumphat aquis.
Macte! tuo mulces nam si vaga flumina cantu,
Quo mansueta hominum corda, Polane, trahes?

EIDEM.

PRincipiis, POLANE, tuis sacra Musica gaudet,
Ac de te spondet pòst meliora sibi.
Principiis insta: serò ars operosa paratur,
Cùm torpet longâ non repetita morâ.

Ad

Ad

ILLVSTREM ET NOBILISSIMUM V. NICOLAUM CAASA, magnum potentissimi Regni Daniæ Cancellarium.

REgnum omne instabile est, à quo Pudor exsulat,
Æquii
Cura, Fides, Probitas, Pax, studiumq; Dei.
Sed, tua per multos quàm DANIA *floreat annos,*
Quem latet, ô Regni Gloria, CASA, *tui?*
Ergo illic regnant Musis stipantibus Æquii
Cura, Fides, Probitas, Pax, studiumq; Dei.
Dulce Argumentum! sed ut his regnantibus ævo
Sit sua perpetuo gratia, sitq; locus:
Crebra sui faciat pro Regis vota salute
DANIA, *proq;* TUA, RANZOVIIQ. *Mei.*

ILL. D. IACOBO CVRTIO, Cæs. Consil. intimo.

SPem, mihi quam fecit clementia Cæsaris almi,
Si tua firmarit gratia, faustus ego.
Magne Iacobe fave nostris, velut antè, Camœnis,
Quas scis quòd miti pectore Cæsar amet.
Docte Iacobe fave; spes in te nostra recumbit:
Stat Mens arbitrio Cæsaris æqua tuo.
Culte Iacobe fave: nam lætitiæ dare certam
Tu dare materiem, tristitiæq; potes.

O Clare

Clare Iacobe fave : nam quæ suffragia pro me
Tu tuleris, Cæsar non reprobabit amans.
Fide Iacobe fave : quod si faxis, aurea sicut
Spes alit Ingenium ; laude superstes eris.

GEOR. BERCHTOLDO DOCTORI Iuris designato.

IVs tibi fortunæ favet, & Sapientia fati,
Publica quòd studio jura frequente colis.
Ius tibi propterea Doctoris nobile nomen
Contulit : hinc frueris Iure gravi titulo.
Iure tuum OBRECHTUM, *qui per compendia Iuris*
Ad fontes hoc te tramite duxit, amas.
Iure tibi grator, quòd te sapientia fati
Fortunæq; fovet : Ius ita jure colis.

IOAN. RVCARDO MEDICO.

HOspitio excepit tua me, suavissime Vates,
Optime Amicorum, Iane Rucarde, Domus.
Plena fide inspexi tua pectora, plena favoris,
Accepi ingenio congrua vota tuo.
Communem paucis magis hinc admiror Amorem,
Hinc ego te circum pectore & ore feram.
Spiritus antè meos vitalis deseret artus,
Officii nolim quàm memor esse tui.
Testor Eum, cui nemo potest imponere, mentes
Qui rapit, atq; capit, qui legit, atq; regit.

O uti-

O utinam liceat tecum consumere vitam,
Et certare jocis, versibus, arte, fide?
Sed sua cuiq; Deus decernit fata Domosq;:
Quà nos ergo trahunt fata, petenda via est.

NIL SEMPER LATET.

CLam nil esse Deum, genius cùm prurit, & urit,
Crede: domi quod ages, esse putato foris.

IN LAVREAM HENRICI MEIbomii, Professoris in Academia Helmstad.

A Majo impositum cui nomen & Arbore pulcrum
est,
Quàm bene texta sacrá ex Arbore serta gerit!
Carmina pangit enim vernantia, vivida, odora,
Et genium, & fructus mox habitura suos.
Hæc ego prædixi: dulces præsagia Musæ
Laudarunt: fructus moxq; tulere novos.
Quos? Lauri auricomá contextam fronde Corollam:
Hac Cæsar Vatem cingier ipse jubet.
Quàm bene Meibomio est à Majo atq; arbore nomē,
Quàm bene Meibomii tempora Laurus obit!

IN LVPVM IMPVRVM.

OS est impurum, est impurum corpus: in ore
Virus, in osse lues, corpore lepra Animæ.

NOBILI HOMINE LITERATO nihil excellentius.

CASPARI à RECHENBERG, Academiam VViteberg. adeunti, Adolescenti generoso.

CVm sis Leucoreas nunc accessurus Athenas
Digne Loci genio Caspar, honore Scholæ:
Gratulor impulsus, quo te complector, amore,
Spes tui accensus fata secunda precor.
Spes jubet, urget amor, caussasq; habet iste latentes,
Quas te sincero pectore nosse decet.
Quò seclo extremo pejoribus utimur annis,
Et quò ætate modò floridiore vires:
Hòc magis impensè decet impallescere Musis,
Temporis hóc gravior cura gerenda tui.
Nam si paupertas tantùm adstringenda Camœnis,
Solus & est Plutus Nobilitatis honos;
Quæ facies aulis, quæ norma futura regendis?
Barbaries toto quod seret Orbe chaos?
Si non verè novo fœcundos conseris agros,
Quænam Autumnali sidere Messis erit?
Quid moneã, assequeris. vis spem superare tuorum?
Nitere consilio, nitere laude Patris.
Faxit, Amice, DEVS! si quid sub Sole decorum est;
Est, qui claret Avis, qui simul arte nitet.

ILL.

ILL. DOM. IACO. CVRTIO, Cæsar. Consil. intimo :

Dedicatorium.

ANnua Natali persolvo dona diei,
Quâ facta est Genitrix Virgo beata Dei.
Hæc tibi dona sacrat, Curti doctissime, Musa,
Hospitio quam tu dignam & amore putas.
Multa tibi debet; debebit plura faventi;
Plurima, si fuerit strenula grata tibi.

DOM. ANSHELMO A VELS, Cæs. Consil.

Dedicatorium.

SI, tua Mens in me sit quanta, recolligo mente;
Non possum grates commemorare pares.
Est tamen est aliquid, gratæ dare symbola mentis:
Dixeris ingratum, dixeris omne nefas.
Hanc igitur strenam grati cape pignus Amoris:
Grata est ex memori corde profecta fides.
Sacra tibi meritò do Xenia sacra colenti:
O videas multos hoc in amore pares!
Anshelmi felix tibi sit nouus Annus, & omnis
Vita: beatus erit, qui bene vixit, homo.

IN BIBLIOTHECAM GRISBECcianam, quæ est Mülfelsii in Arce Boëmiæ.

Quæris, ubi Musis nunc sit Parnassus? ad Arcem
Mülfelsianam pergito.
Iure sibi partis opibus Grisbeccius olim
Hanc Florianus condidit.
Illinc sunt sylvæ, viridaria, flumina, Nymphæ,
Apollo, Musæ, Gratiæ.
Illic Virtutum fortunatissima Tempe,
Paradisus illinc regia.

IOAN. COCORS A CAMENEZ, ad se ægrotantem venienti obviam missum.

FRencell ô hospes dudum optatissime Musis,
Dignare accessu rustica tecta tuo.
Igne focus lucet modico, tenuiq; salinum
Orbe nitet, præsens Pallas, & alma Ceres.
Fallor? an ingressu jam lucidiora videntur
Lumina Phœbeæ lampadis ipsa tuo?
Sol Musis es, Iane, meis? tibi Sol quoq; Musæ:
Ingredere, & Morbo sis Medicina meo.

IN DETRACTORES.

VIdi ego, præsentes qui summâ laude onerarent,
Omnibus absentes obruerent vitiis.
His volupe est, stultum studia in contraria vulgus
Distrahere, & famam dilacerare bonam.

Vidi

Vidi ego mendaces tempus breve crescere tales,
Et vidi insidiis occubuisse suis.
Quæ me igitur franget petulans Injuria, quando
Impetit Authorem lingua proterva suum?

IN EOSDEM.

IN linguâ gestat Detractor, in aure Satanen,
Qui Detractori commodat auricolas.

IDYLLION, LVNARIA.

Ad IACOBVM MONAVIVM Patricium Vratislavien. Virum omnibus doctis Viris commendatissimum.

HOrtus in Elysiis est formosissimus agris,
Quem Viader liquidis latus oberrat aquis.
Rege Vratislao cepit florescere quondam:
Hinc quoq; Regificum nomen & omen habet.
Ille tot Arboribus plantisq; superbit amœnis,
Sidera quot cœlum lucidiora capit.
Has inter primis Lunaria *crevit ab annis,*
Suavis odore, usu grata, decora comis.
Pòst fato, quodam, cum tempore longa propago
Concidit: una tamen jussa virere Deo est.
Hæc quoq; visa fuit dudum sterilescere multis:
Sed tandem pulcrâ prole beavit agrum.
Nunc ea surgit humo, viresq; acquirit eundo,
Collapsum generi spem revocatq; suo.

Surgat iô, & latè fraterna in brachia seſe
Explicet, acciſum reſtituatq; decus.
Induat in florem seſe vigor abditus antè;
Inde renaſcatur ſylvula, grata Deo.
Serpe ſerenatum, Lunaria, ſerpe per hortum,
Et tandem ætherio ſemina ſparge Solo.
Herba tua eſt: Votum tibi nuncupo jure Monavi:
Floreat ô thalamo Gens rediviva tuo.
Sit nova ſtirps veteri, qui nuper deniq; fecit
Te Patrem, faciat pòſt Fridericus *Avum.*
Nec dubita: in vitam redeunt emortua, florent
Arida, conſurgunt lapſa, jubente Deo.

IOCVS AD MEDICVM.

ME Febris miſſum facit una, ſed altera vexat
Acriùs: à Medici ſpes mea pendet ope.
Hic vult, hic poterit medicari: nempe ferenda eſt
Ægroto & Medico longa brevisq; mora.
Tandem & mox dilata diu Medicina ſequetur:
Quam bona compenſat gratia, nulla mora eſt.

IOAN. LERCHENFELDIO, SVpremo inclytæ Reipub. Ratisbonenſis Camerario, Pragâ diſcedenti.

I, quò te revocat cariſſima Patria, cujus
Eſt commiſſa tibi res, comitante Deo.

Exci-

Excipiat salvum Conjux te salva Maritum,
Iane: *Deus Comes est si tibi, certa via est.*

IN FAMILIÆ SCHARBERGIAE INSIGNIA.

CErnis, ut in saltum Caper emicet, ut fera vibret
Cornua, ut os pandat, porrigat utq; pedes?
Aspicis, ut supra Galeam Diadema coruscet,
Fulgeat inferiùs summus uterq; color.
Per Virtutis iter contendit ad ardua cursu
Scharbergerorum *Gens pia, clara, vetus.*
Hinc illam meritò comitatur Gloria lethi
Nescia: non errat, quisquis id intrat iter.

Anagrammatismus
IOANNES COCORS.
Anne hic Osor? Cos.

NArranti casus suaq; infortunia Amico
Promittit fidam qui miseratus opem:
Vota laborantis qui pòst suspendit Amici,
Objectans rigidi jura severa fori:
Tandem qui repetit, repetitaq; firmat Amico
Promissa, & planum pandit amoris iter:
Anne hic Osor *erit?* Cos *imò jacentis Amici,*
Vt probet Instando per nova vota fidem.

Vtq; det instanti caussam considere caussæ,
Acriùs & lapsis poscere rebus opem.
Quis tam cautus homo? meus ille Cocorsius, ille
Indelibatæ Cultor Amicitiæ.
Quos amat, hos acuit: nõ Osor is ergo, sed est Cos:
Vivat, & exsuperet Re pia vota Spei.
Grata magis, serò exacuunt quæ gaudia mentem:
Sæpe breves pariunt commoda longa moræ.

D. PAVLO IONÆ A LILGENAW, Cæs. Secret. & Consil.

In die beati Paulli Apostoli.

NVper ubi morbus te lecto adfixerat acer,
Hanc te spesne fuit posse videre diem?
Vita Bonum fragile est, quod lux dat, & eripit una:
Redditus est igitur quòd tibi, Paulle, vigor
In laudes os solve Dei, frontemq; serena;
Tolle manus, curas abijce, funde preces;
Cellam pande; focos incende; dapes coque; mensam
Instrue; quære Bonos; sic celebraq; diem.
Dicite Convivæ: valeat bene Paullus Iõnas;
Vivat, & hanc videat sæpe, colatq; diem.

IN AMBIGVVM AMICVM Iudentem Vocabulo Insolentis.

Eho me, Sciole, hospitem insolentem
Dicis? nunquid amas ob id videri

Argu-

Argutusq́, simul, simulq́, acutus?
Hoc vltra fateor, negatur illud.
Non arguta tua est; acuta lingua;
Pungit, non loquitur. sed heus Amicum
Dictis ambiguis adire, Amici
Non est ingenui, sed insolentis.

VVEN. RAPHANO PHILOS. & Med. doctissimo, pro felici novo anno.

Sospitet hunc fatis tibi non crudelibus annum,
A quo certa salus, & Medicina, Deus.
Nulla pedum admittat Tortorem Lyma tuorum,
Sol nullus: teneat limina fida quies.
Baccho aditus pateat; sed cui vis noxia non sit;
Huic proba succedat, Vvenceslaë, Ceres.
Vt vigor ingenio: sic durent corpore vires,
Ille Libris, Libris hæ vegetante Deo.

IOAN. GEORG. A VVERDENSTEIN, Viro nobilissimo.

En cupio quodcunq́, mei dare pignus Amoris:
En fortunati pignus Amoris habe.
Sacra facis: lege sacra: sacrum tibi defero Carmen,
Iane perantiquæ Nobilitatis Honos.

Debeo

Debeo plura tibi: sed dic Frencelius *æuum*
Exigat, & capies plura, favente Deo.

GENEROSO DOMINO BAR. Dn. EHRNFRID à MINCWIZ, Cæs. Consiliario: ob Phlebotomiam.

HVc huc este manus, scalpellum, fascia, pelvis,
Serta, dapes, animi, Musica, Bacche, Venus.
Namq; ministerio vestro Mincwicius *Heros*
Indiget: ergo operam quisq; probate suam.
Vena secanda, foràs mittendus & improbus humor,
Vtq; bonus redeat sanguis, aranda via est.
Tange manum manus, & Scalpellum divide venam,
Et tu sanguineas excipe pelvis aquas.
Obstrue tu tandem salientem fascia fluxum;
Serta ambite caput, Ventriculumq; dapes.
Præsentes estote animi: cane Musica Votum:
Nobile Bacche Merum, basia funde Venus.
At tu, sit felix opus, & Mincwizius *æuum*
Exigat haud lævo sidere, Musa refer.
Nunc prosul este manus, Scalpellum, pelvis: adeste
Serta, dapes, animi, Musica, Bacche, Venus.

IN ABVTENTEM FORTVNA.

ES felix, mœstusq; simul: fortuna (caveto)
Hoc si resciverit perfida, neuter eris.

IN

IN SORDIDVM CANTOREM.

Sordide, thoracem qui cum sudore resarcis;
Ingenii sarcis nonne ita damna tui?
Quòd si ita consarcis tua carmina, crimina, cantus,
Dic mihi, quo dignus nomine? Sartor olens.

In Insignia
IACOBI MENSCHIK à MENstein, supremi Burggraviatus Pragensis Notarii.

Cvr Gentilitiis Procerum tot fertur in armis
Leo decore fulgido?
Insita magnanimo nempe est generosa Leoni
Natura, vinci nescia.
Macte Iacobe! frui jubet hac te Laude Ferarum
Rex omnium fortissimus.
Sed caput humanum primis cur unguibus ille
Velut stupescens elevat?
Scilicet humanum caput est rationis, & omnis
Sedes capax Prudentiæ.
Macte Iacobe! frui jubet hac te laude sagacis
Sedes capax Prudentiæ.
Res agit ex Voto, cui mens studiosa capax q;
Virtutis, & prudentiæ.

IOANNI STVRMIO V. CL.
in cœnâ.

Salve

SAlve sancte Senex, Patriæ admirabile Lumen,
Nominibus cujus Numen ineſſe reor.
Si qua ſalus hauſtu vini datur, en ego vinum
Præbibo, quod ſalvum te ſinat eſſe diu.

IN QVARTVM LIB. CONSIL. & Epiſtol. Medicinalium Clariſs. Vv. operâ & ſtudio Doct. LAURENTII SCHOLZII Medici VVratisl. collectum.

IAm Libris congeſta tribus conſulta Medentûm
Vidimus, è ſterili vix revocanda ſitu:
Vindice te, Scholzi, niſi docta induſtria tantas
Naturæ nobis exſeruiſſet opes.
Numen adoramus, miramur acumen, & uſum
Artis, & humanæ tam grave mentis opus.
At, te quòd ſtudiis aliorum impendere tantùm
Temporis, atq; operæ non piget, eſtne pudor?
Publica privatis præponere commoda rebus
Si pudor eſt, nobis non niſi ſanctus erit.
Perge igitur gratis depromere, ſi qua ſuperſunt,
Et paribus quartum nixibus ede Librum.
Conatus quicunq; tuos rudis impetit Oſor;
Hic egeat, fruſtra ſed tamen, arte tuâ.

IOAN.

IOAN. COCORS à CAMENEZ. pro Vsu Equorum.

Tot grates, quot Equi, qui me vexêre, volutant
Circum colla pilos tergaq́, dico tibi.
Tu mihi Ius in Equos, Iane ô mi Iane, dedisti:
Ecce igitur noster Pegasus esto tuus.
Ante meæ Musas capient oblivia Famæ;
Quàm capient Famæ tædia, IANE, tuæ.
Illæ dona tibi sua multa dedêre, dabuntq́.
Omnia, si TYBIAM Mens stat adire Scholam.
Quæ dona? ut Regum consulta Ducumq́ gubernes:
Caula est Centauris, Aula regenda tibi.

IN CORNVTVM.

Cornu nomen habes, superest ut cornua gestes;
Cornua si gestas; dic mihi, qualis eris?

IN EFFIGIEM SVAM.

IAm prope quinq́ meũ cùm lustra peregerat ævum,
Talis eram facie, corpore talis eram.
Laurea maturè nimium tibi contigit, inquis,
Debetur magnis Laurea sera Viris,
Est ita, consiteor: sed sic decrevit Apollo;
Huic parêre ætas prima, secunda solet.
Gloria sectantes fugit, & fugientibus instat:
Hæc fecit Iuvenem sponte secuta Virum.

Multa

Multa tuli: potior fuit alma scientia luxu:
Ocia nec teneras impediêre manus.
Sæpius insomnes duxi per carmina noctes;
Sæpius in Iuris Codice lectus erat.
Sæpe etiam in sacros sudor de fronte libellos
Decidit, hic cœli quærere jußit opes.
Hæc Sophiæ, hæc Iuris mihi fundamenta fuerunt,
Dum se alii in somnos composuêre leves.
Invideat, quicunq; volet: si quid mihi laudis
Contigit, indultu contigit omne Dei;
Acceptũ huic refero; Duce & hoc majora capessam,
Cùm mihi post istam forma virilis erit.
Dii modo, quod superest vitæ, tueantur, & ornent:
Gloria si qua mea est, gloria sola Dei est.

IN EANDEM
Ætatis suæ Anno XXX.

TAlis eram, cùm visa mihi tricesima Messis:
O me olim in Messem collige, Christe, tuam.

VVENC. RAPHANO MED.
excellentissimo.

ALtorem num te potiùs, Patremve, Cocumve,
An dicam Medicum, VVencesilae, meum?
Sunt Medici, qui nil ægris, quàm ingrata propinant
Pharmaca, Ventriculum debilitantq; magis.

Verùm

Verùm tu Stomachum simul emendantia nostrum
Pharmaca suppeditas, delitiasq; simul.
Mittis Avem, sacramq; Iovi Ceoq; Creatæ,
Dignum Epulum Mensâ luxuriantis heri.
Mittis plebejo secretos agmine pisces;
Grata satis Stomacho munera, grata gulæ.
Altorem sic jure meum, Medicumq; Patremq;
Te voco: Musa suo carmine Testis erit.

IOAN. LVNDORPIO, V. opt. & doctiss.

FOedus Amicitiæ si sæpe silentia rumpunt;
Hanc tamē haud patitur vim bene nexus amor,
Asserit id noster, longumq; probabit in ævum,
Dimidium ô Cordis IANE *Poëta mei.*
Nam licet à multis tibi Littera scripta sit annis
Nulla, tamen Patriæ sum memor usq; tuæ.
Nec meus ex animo LUNDORPIUS *excidit unquam,*
Nec LAUTERBACHIUS *candidus ille meus.*
Nec meus, atq; tuus Cremerus *&* Angelus *ille,*
Nec desiderium POSTHIUS *ille meum.*
Hactenus imposuit mora longa silentia longa,
Quæ multò gravior, quàm tibi, Iane mihi est.
Illam certa tamen firmabit gratia tandem:
Si potes hoc unum credere, salvus amor.

In Insignia
GREGORII RHENANI, CELEbri Reipub. Nissensi ab Actis, Viri integerrimi.

Gryphs animal pugnax nidum sibi fabricat auro,
A furumq; manu grande tuetur opus.
Lilia magnorum sunt ornamenta virorum,
Inter prata inter sueta virere lacus.
Hæc cum Gryphe tui, RHENANE, Insignia quòd sunt
Nominis, aut fuit, aut (ut reor) omen erit.
Inter aquas, hoc est, infida perìcula vitæ
Fortunæ variis afficiere minis.
Quòd tibi si fures famæ melioris (ut usu
Sæpe venit) fraudes, insidiasq; struent:
Gryphs adhibere animum jubeat: Victoria Gryphi
Obvia semper: ovans tu quoq; Victor eris.
Dum loquor, ecce imis mutantur summa Gregori,
Cogeris ad pugnam te dare: Victor abis.
Quid Livor? recoquit technas, nova consuit arma:
Si scis cedendo cædere, Victor eris.

IN SEPTEM AB VNO CÆSOS & in fugam actos.

Septem unus ferit: res mira & dira! sed audi:
Septem non unum Cor habuere viri.

IOAN.

IOAN. COCORS à CAMENEZ
Leporem mittenti.

Avritum est, timidumq; animal, sed dulce palato,
A levitate pedum quod leve nomen habet.
Tale tuo mittis, Musarum Fama Cocorsi,
Frencelio; cujus dedita Musa tibi est.
Accipiam Leporem ore tuum, reddam ore Leporem,
Si quis inest, cùm nos junget amœna dies.
Interea canibusq; tuis Dictynna tibiq;
Sæpe ita sit facilis, sit facilisq; mihi.
Sic fiam auritus forsan, timidusq; celerq;;
Vis tria, Cocorsi, planiùs ista loquar?
Tendam aures patulas; ut, quæ mihi plura deinceps
De te dictarit doctus Apollo, sciam.
Incutiet moles Meritorum magna timorem,
Ne mihi par liceat quando referre pari.
Attamen ad grates referendas, Iane, Poëtam
Me celerem posthac experiere tuum.
Vnde sed ista pedum mihi copia nata repente?
Quid rogo? nonne Lepos missus, & inde pedes?

AMICO COLVMBAS
mittenti.

Centum, pro binis, tibi, Iane, remitto Columbas:
Vt plures possim mittere, mitte tuas.

In Insignia

HERMANNI à BECKE, SAC. CÆS. Palatii Comitis, Revss. & Illss. PP. Archiep. Bremensis, Holsatiæ & Saxoniæ Ducum Consiliarii, viri optimi, & doctissimi.

Coelo Stella decus pariter lucemq; ministrat:
Crista est gestamen Martis, & Artis honos.
Sed quid Stella, gravem supra cristisq; decoram,
Quam tua Gens galeam fert, radiosa nitet?
Majores, Hermanne, tuos bellacibus ausis
Emersisse quidem Martia Crista docet:
Sed virtute decus Gentis crescentibus annis
Crevisse, atq; ultra crescere, stella monet.
Quòd si perpetuum Lumen, si fons & origo
Stemmatis est virtus, est velut, una tui:
Limpidulus clypeum quàm pulcre dividit amnis,
In quo perpetuum gloria currit iter.
Quantâ igitur te laude vehent, Hermanne, nepotes,
Qui decus & Generis luxq; coruscа tui?

VVENC. RAPHANO MEDICO nobilissimo, de recuperatâ suâ valetudine.

Convalvi. quid dicam ultra spe lætus amenâ?
Quid? Medici laus est altera, prima Dei.

Ergo

Ergo tibi, arte potens ô Vvenceſilaë medendi,
Altera debetur gratia, prima Deo.
Præmia quæ referam? referam (modò vixero) grati
Pauca futura animi Symbola, certa tamen.
Parva ferenda mora eſt, mea dum Regina (retentis
Nunc dormitat enim Clavibus) evigilet.
Aſt audi, mea quos tibi Muſa tenella Puella
Occinat obſcuros ſemiſepulta ſonos.
Ergo, ait, aſpirante Deo vel reddita tandem eſt
Per te Frencelio vita ſalusq; meo?
Ante homines morbi, Medicos cum floribus herbæ
Deficient, herbas ſuccus, & humor humum:
Quàm vehere abſiſtam memori tua nomina laude,
Gratiaq; officii concidat ulla tui.
Eſt Medici, quoſcunq; poteſt, ſervare: Poëtam
Si ſervat, vitam prorogat ille Sibi.

VIRTVS ÆTERNA.

FErtilis Ingenii Nutrix eſt lactea Virtus,
Pulcer is, & dives, cui favet illa, ſat eſt.
Ecquid opes fluîdæ, quas craſtina fata laceſſunt?
Quod durat demto fine, fuiſſe reor.
Semina Virtutis moriente libidine vivunt:
Non erat id, quod erat, ſi quid abeſſe poteſt.

IN GERMANORVM TE-
mulentiam Itali Diſti-
chon.

GErmani possunt multos tolerare labores;
O utinam possint tam bene ferre sitim!

FRENCELII ἀντίστιχον.

ITala Gens tolerare sitim bene dicitur: ô si
Frena vagæ Veneris tam bene ferre queat!

IN CVSTODEM NEQVAM,
Genit. & Accusat. casu.

IN quo tot scelerum facies, quot in arbore rami,
Vt scelerum dici jure cloaca queat.
Qui neq; sobrius occidui, neq; Solis Eöi
Lumina vidit: habes deniq; Summam hominis:
Hic commendatur damnatus Carceris æquo
Custodi, sanctum quem facit Ara virum:
Sanctum adeo, ut captum dimittat carcere, & intra
Accipiat propriæ tecta propinqua Domus.
Hunc pulvinari imponit, refuitq; madenti
Baccho, Epulis, ludo; cætera quem fugiunt?
Nunquid habent similes lacluicas lavra? negatur:
Iste illo major (credite) nequitiâ est.
Sed quis Custodem posthac custodiet istum?
Qui ferat æqualem commiseratus opem.

FORTVNAE NIHIL
credendum.

NOn in fortunæ tua sit fiducia nutu
Nixa, oculi nutu deperit illa brevi.

Quando

Quando putas, summo quòd sit tibi juncta favore;
Ecce tuam ærumnas seminat ante Domum.

ILLVSTRISS. PRINCIPI C. P. in Cœnâ subitò recitatum.

Quæris, quid desit mihi Princeps? nil, mihi; at unû
Deêst tibi, quòd nescis, multa deesse mihi.
Nam fortuna negat quid non famosa Poëtis:
Ingenii sed opes hos locupletis alunt.
Sic mihi nil desit; sic desunt multa; vel illa
Da mihi, vel cessa quærere nota prius.
Si nimia haud desunt, ais: hem quæ Principis aures?
Non nimia, at dico multa deesse mihi.
Ergo tuis ut res verbis respondeat, (inquis,)
Auribus & vitium ne quod ineſſe putes?
Ecce tibi, si dum vacuo hunc celeri ore Culullum,
Distichon edideris tu mihi, multa dabo.
Ergo fluat vinum tibi: mî fluat acta repente
Vena; tibi faveat Bacchus, Apollo mihi.
Te jam dic nimia, ô Princeps, non multa daturum:
Dasne? coronatos quinq; decemq;, sat est.

SAXONI NOBILI PVGIONEM Argenteum promittenti, facto ante exhaustum poculum districho, & danti.

PVgio noſter erit, ſi vera profaris Amice:
Ebibe, noſter erit Pugio; verſus adeſt.

ILL. DOM. IACO. CVRTIO, Cæſar. Conſil. intimo:

TEmpeſtas quæ ſicca Polo, quæ ſicca Solo ſit,
Curti Pieridum gloria prima, vides.
Sed ſi, quæ Loculo tempeſtas ſicca, videres;
Fortaſsis caperet te nova cura mei.
Reſpice me, Curti generoſe, Iovemq; precare,
Aureus ut largis decidat Imber aquis.
Decidat Arce ſacrâ, ſterilesq; humectet Arenas:
Sic mihi tu Rivus, ſic Mare Cæſar erit.

SVPERBIÆ ET HVMILITATIS Præmia.

ANteit ut FASTVS Stultorum norma ruinam:
Altam ſic humilis vita præire ſolet.
Per Scalam aſcenſu ſuperantur ſumma profundo,
Et priùs ima petet, qui volet alta ſequi.
Pullulat antè brevis, quàm longior eminet Arbos,
Et fœcunda Seges, quàm viret, antè putret.
Clauſula principium ſequitur, mercesq; laborem,
Pax litem, ærumnas delicioſa quies.
Nubila Lux Phœbi, bellum Victoria, plauſus
Planctum, Virtutem gloria, facta Decus.

Quid

Quid te inflas Buso? quid stulte tumescis Asselle?
An nescis, quòd cras putre cadaver eris?

IN PRIMVM CONSPECTVM Amici, D. SEBASTIANI HOFMANI in Henersdorff, Consulis Gorlicen. V. Nob.

VEspera dulcis ave, mihi quæ das ora Sebasti
Cernere, Gorlicià quâ nihil Vrbe prius.
Quod longæ traxere dies noctesq; petenti,
Tu das, & voto Numen inesse finis.
Tu felix, sed ego te sum felicior in te:
Nam, quod habes, mihi das, me retinesq; tibi.
Sum tuus; at meus est Hofmanus *eritq;* Sebastus:
Sit Deus in nobis, simus ut ambo Dei.

IN POCVLVM ILL. D. D. FERDIN. HOFMAN, Cæs. Consil. & Præsidis Cameræ Aulicæ, innumeris capitibus insignitum. in Cænâ.

SVb pedibus tot, Bacche, tuis Capita esse, dolendum est:
Bacche fave, atq; Caput tu mihi linque meum.

DE EODEM, AD DOCT. LVCAM GEIZKOFLERVM, IC. Ill. DD. Fuggerorum Consiliarium.

E Bibe, tolle moras, & rumpe silentia: sed cur?
Sponsus es: in Sponso non decet esse moram.

IN ALIVD EIVSDEM D. BARONIS Poculum, Virginem, quæ multos ferüit in cœnâ, antè quàm biberet.

Q Vid tecum mihi Virgo Rei? vis basia libem:
Basia libarem, si mea Musa fores?

EADEM VIRGINE exhaustâ.

B Asia libavi; sed inermi digna Poëta:
Quod si plura petis basia, Virgo vale.

FORTVNÆ NATVRA & Vsus.

V Tere Fortunæ Zephyris sapienter: utrinq;
Incutit incautis mentibus illa metum.
Tantum auferre potest, dare quantum Munus habendum:
Ah habui, quidnam est dicere? Verba volant.

IN VAGVM.

N Vnc has esse tuas, nunc illas protenus ædes
Dicis: ubiq; tuos, Lentule, quæro Lares.
Nec te offendo; Laresve tuos: quid quærere pergo?
Quisquis ubiq; habitat, nusquam habitare solet.

IN

IN SORDIDVM HOSPITEM.

SEllam Turpilius non habet unicam,
Cellam Turpilius non habet unicam,
Panem Turpilius non habet unicum,
Vinum Turpilius non habet unicum,
Aurum Turpilius non habet unicum,
Censum Turpilius non habet unicum,
Sensum Turpilius non habet unicum,
Et quod præcipuum, non habet unicum,
Salem Turpilius, quidnam age? Verba habet.

IN DIVITEM ALTERIUS damno.

COgit Avarus opes; patitur Respub. damnum:
Hoc qui diteſcit nomine, ſemper eget.

IN ZOROASTREM IOAN. Iessenii, Medici.

QVæ tibi, Ieſſeni, fiducia tanta? quid audes?
Iudicia an pariunt non aliena metum?
Te multi dicent veterum oppugnare Sophorum
Oracla, & nugis commaculare novis.
Ne metue: hoc vulgus dicet, non lingua Sophorum
Sobria, in hos luſus ingenioſa tuos.
Nam, quod huic præceps ignavia temporis ævo
Invidit, revocas tu vetus artis opus.

Non

Non ergo oggannis nova: sed, te vindice, lautis
Sordibus in vitam prisca Magia redit.
Hinc Artis per te redivivus cernitur Autor:
Hinc per Eum vivâ laude superstes eris.

PODAGRA TERRORE abacta.

Nocte duo tacitâ facturi furta Rapones,
Furinum rebus constituere locum.
Area complacuit prope templum sacra sepultis:
Nec mora: paganas tentat uterq; casas.
Sarcina plena nuium primo jacet obvia Furi;
Hanc rapit, & noto congerit ille loco.
Ecce autem, Socium dum nocte moratur opacâ,
Frangit & audaci dente subinde nuces:
Advehitur dorso Servi illâ parte Sacerdos,
Fortè cui fuerat Cænula sumta foris.
Asportasne? cavâ Fur vocem rumpit in umbrâ,
Asseclam ceptæ fraudis adesse ratus.
Pastor opinatus sibi vim fraudemq; paratam
Momento Servi desilit ex humeris.
Et veluti rapidis arderent omnia flammis,
Septa per, & hortos, per latebras q; fugit.
Hasq; subinde tremens devoto pectore voces
Ingeminat? Sancta ô sancta Maria Parens!
Miraclum! pedibus quibus ante Podagra negarat
Officium, his alas vox brevis una dedit.

FAMV-

FAMVLITIVM CLERICVM.

Dic mihi, qui Servi celebres sint absq; labore?
Tale Sacerdotum nobile Servitium.

IN MATHEMATICVM AMBITIOSVM & Nugivendum.

OMnia vult quidam scire, atq; videre videri:
Hinc sibi Iudicium sumit in omnia Vir.
O lepidus Iudex! an fallitur? omnia penè
Scit, solùm hoc nescit, quòd sciat ille nihil.

ABVSVS OPVM.

CVm nil ferre queant; tamen admiranda videtur
Res mihi, stulticiam quòd patiantur opes.

Quæstio
DE IGNORANTIA MONACHORum ab Abblate V. eruditiss. scriptis celebri discussa.

MIror, ait quidam, cur Ignorantia Fratres
Sic amet, ut nequeant verba latina loqui.
Huic Vir Iudicio gravis, Ingenioq; sagaci,
Desine mirari talia, Præsul ait:
Non nisi ab ignavis voluit tum Christus Asellis,
Cùm peteret Solymæ mœnia celsa, vehi.
Nunc Asinis tolli à nostris, sursumq; levari
Cogitur, an Monachos dixeris esse rudes?

IN

IN DOCTOREM IVRIS Bullatum.

IVris inexpertus Doctorem Iuris inani
Iure creat; proprii quis modò juris erit?
Iuris egens Iuris fit DOCTOR NESCIUS: *eheu*
Sic sanctum Iuris prostituisse decus!

POENA OBTRECTATORIS ET Auditoris, ex Plauto.

OBtrectatori, quiq; huic accommodat aures,
Iudicio si sit pœna luenda meo:
Pendeat infami trabe nexus uterq; necesse est:
Lingua illæ, at patulis auribus iste suis.

MARTINO KINNERO à SCHERfenstein. V. CL. De Exundationibus.

ALlata est, Kinnere, mihi tua Schedula: nostrum
An procedat iter, tempore quove, rogas.
Procedit: remoras verùm exundatio crebra
Injcit, effectu non caritura alio.
Accessu hæc prohibet me Mecœnatis amici,
Quo sine nil statuo conficioq; nihil.
Nec dum adduxit Equos pridè mihi Venditor emtos,
Hunc ultra Viadrum vis remoratur aquæ.
Vix credas, quantum crescens nunc sæviat Vnda:
Nil COLSAE *circum mœnia, quàm lacrimæ.*

Ergo

Ergo iter ingrediar vix, mi Martine, sequenti
Hebdomade: ante tuos forsan adibo lares.
Pro voto votum reddo: sint mitia nobis
Sidera: ne lacrimet plus polus, imò Deus.

MICHAELI RICHARDO M. MIchaelis Filiolo, primos gressus facienti XII. Octob. Anno M. D. XCIII.

Sit tibi fausta dies, Michaël, qua primula tentas
Signa pedum, cumulans gaudia, spemq; Patris.
Ecce pedem Mundo nunc infers: plena pericli
Area: fausto igitur sidere carpe viam.
Declina Anfractus, Virtutem in limine quære:
Sit tibi Dux Genitor, Dux Pater ipse Deus.
Hos cape per Mundum Comites, & respice Metam:
Ne fuge, Meta prope est: ne cade, plana via est.

IN PHARMACOPOEVM QVI Aquâ Vitæ se peremit.

PHarmacopœus Aquam vitæ plùs hauserat æquo,
Inde anima exardens corpore prosiluit.
Ne mireris: Aqua hæc vitæ, quàm largiùs hausit
Curculio, Vitæ non Aqua; Mortis erat.

MAG.

MAG. DN. EBERHARDO VVAMbold ab Vmbstat, Cæs. Consil. Imperiali, cum è poculo ipsius Nautico Author in prandio Curtiano bibisset.

PArs quotacunq; fui, qui festâ luce Podagram
Iusserunt pedibus prorsus abire tuis.
Et quia Navigium, VVamboldi, fusile nobis
Pro te propositum est, proq; salute tuâ.
Sic ego, cùm biberem dixi: hoc cum simplice velo
In ventos abeat sæva Podagra leves.
Dum biberem, ecce Scypho effluxit mihi versus hic
Navigat ille, nimis qui bibit, ad Podagram. (imo:

IOANNI EHRNREITER ab Hofreit, Equiti nobilissimo.

REINHARDUS cupidè dignos venatur honores
VIRTUTIS insidens Equo.
Sustinet hinc EQUITIS memorabile Nomen Ho-
Patrum sequens vestigia. (NESTI,
Mars Pallasq; astant Metæ; dat GLORIA Laurum
Vtriq;, dent ut Tertio.

FRIDERICO ECCARDO, Pharmacopœo Oppolienſi.

ECCARDI aspiciens Sobolem Lucina jubebat
Atria Sideriam pandere plura Domum.

MARTI-

MARTINO HERTELIO SENATORI Nisseno, Viro prudentissimo.

HERTELI stomachum tibi movebo:
Id prædico, metum mihiq; scindo.
Tu doctissimus omnium tuorum,
Queis & laus sua, Civium: Phaleucis
Tot me mellifluis, tot eruditis
Divino impete nuper in stuporem
Musarum abripuit Lepor tuarum.
Fortunata dies, mihi Phaleucos
Quá Tabellio reddidit politos,
Illos mellifluos & eruditos.
Namq; his advenientibus repente
Me febris fera Carnifex reliquit.
Et non te celebrem, tuasq; Musas
O doctissime Civium tuorum?

ANDREÆ CASPARI ab EBELEleben, Illustrissimi Electoratus Sax. Administratoris &c. Consiliario, & Curiæ Magistro, Viro nobilissimo.

IN NOMEN.

PRopria Maternæ penso si pondera linguæ;
VITA tibi PLANA est, hinc quoq; plana fides.
Ignotine tuo toleras in Nomine lusum (des.
Vatis: ama ignotum, cui quoq; plana fi-

Nil ego rem præter ludo tibi CASPAR: *honorem*
Accipe tam ravæ laudis, eamq; tene.
Qui PLANAM *ducit pia per compendia* VITAM,
Hic plano graditur plana per astra gradu.

ERASMO MVLLER IN LISSA, VVeigwiz &c. Patricio & Senatori VVratisl. Viro nobilissimo.

In ipsius Sententiam:

ET FORTUNA IN VIRTUTE, VIRTUS in Fortuná est.

ET Fortuna subest Virtuti, & Regia Virtus
Fortunæ inest pedisequæ.
Diversum imperium: diversum tempus; & usus
Diversus, unus ARBITER.
A quo dum pendes, sua præmia solvit, ERASME,
Et Illa, & hæc meritò tibi.

PETRI HAGL, CÆS. CONSILIARII, Viri amplissimi Symbolum:

Quærenda obvia, capta vincit.

OBvia quærenda est Occasio, capta tropæum
Arripit, in Victum sævit, eumq; necat.

MAGNI-

MAGNIFICI V. GVILIELMI à MECKBACH, Sereniſsimi Regis Daniæ, & Illuſtriſs. PP. Adminiſtratoris Magdeb. & Haſsiæ Conſiliarii & Cancellarii Symbolum.

PIETATE, VIRTUTE, LABORE.

MIra fatiſcentis numerum diſcrimina Mundi
Excedunt: ſed quo ſunt ſuperanda modo?
Cuncta tribus: Pietas prima eſt Dux, altera Virtus,
Has ſequitur greſſu non remorante Labor.
Harum qui ſequitur caſtra impolluta, triumphos
Æternos Mundi ducit in opprobrium.
Delectent alios alia: at Myſteria terni
Me numeri exhilarant fructibus innumeris.

IN POEMATA SVA, QVÆ in morbo confecit.

HÆc Morbo meditata ſævienti,
Et non morbida ſint, & impolita?

HERMANNO VVARMBVCHIO, Illuſtriſs. Reipublicæ Lubecenſis Syndico, & ad Cæſ. Maieſt. Legato.

Tantùm alias superat splendore LUBECA *vetusto*
Vrbes in Orbe Teutonum:
Ætheriæ radiis quantùm Phœbœia Lampas
Obscurat astra REGIAE.
O quantum est, tantæ LEGATUM *dicier Vrbis!*
Quantum ESSE *rebus prosperis!*
Hunc, HERMANE, *tibi Gens Patria debet honorē,*
Gratatur Aula CAESARIS.

GEORGII AQVILÆ PRIMATIS Regiæ Vrbis Hradecensis, Viri præstantissimi Symbolum.

INIURIARUM REMEDIUM OBLIVIO.

Quæ mutare nequis, fer perfer mente virili:
Durum! necesse sed tamen.
Durum mollescit, si OBLIVIO *masculà temnit*
Injuriarum Principes.

HENRICI SCIFORDECKER S. Cæs. Maiest. à Secretis, Viri nobilissimi Sententia.

Vir verè prudens non it uno gradu, sed uná Viá.

Cordati & verè Sapientis Semita certa est:
Non illi gradus est unus, at una via.

PIETAS IN ARCE

MAGNIFICI VIRI GEORGII à Rhedern, in GrosStreliz, Toſt, & Vveisbretſchem, S. Cæſ. Majeſt. Conſiliarii,

De conflagratione Oppiduli Streliz.

O *Angeli, grates vobis termaximas*
Ago lubens, quòd hanc Domum,
Cùm nuper in cineres totum hoc penè oppidum
Infauſtus ignis verteret,
Servaſtis. ô ſervate poſthac fortiter,
Si cura vobis eſt Mei.
Rhederus *hac nam me fovet meus Domo,*
Georgius *Re, & Nomine.*

MARTINO SCHILLINGIO Patricio Vratisl. Viro excellentiſsimo.

SChillingum *accuſat, lateat quòd præter honorē,*
Fama ſiniſtra: ſed hunc Dextra latere jubet.

VDALRICO SCHAF, cognomento Gotſch, ad prandium.

CAndidus ignoscat mihi Schulenburgi[o] Hospes,
Agne quòd hoc vitrum parve propino tibi.
Nam fama est, nimium quòd te Sitis arida vexet:
Sicca ergo ut fiant humida labra, bibe.

IOCVS IN CRVCEM infamem.

FVrcam, Supplicio Furcs qua plecteret, altam
Struxerat ex variis Vrbs bene nota jocis.
Paganis, capto tum Fure, petentibus Vsum
Hujus, Responsum Consul id acre dedit:
Vicini, haud Æquum petitis: Nos struximus istam
Pro nobis, nostrâ & posteritate Crucem.

VVENCESL. A DERSANOVV IN Schreibersdorff, Equiti Silesio, de Musices Studio.

SVnt digna, Vvenceslaë, in te quàmplurima
Amore: forma Corporis,
Aperta frons, Ætas prudens, & florida,
Os mite, Mensq; candida.
Sed has tibi demum dotes Ars duplicat,
Divina nempe Musica.
Hanc tu colis: rursum illa te purè colit:
Laus digna Viro nobili!

IN

IN DVOS MENTIENTES Lauream Poëticam.

Binos, fama ait, esse, Laureatos
Qui sese undiq; jactitant Poëtas.
Sed Testes quia non habent Honoris,
Non agnosco Poëta laureatos,
Verùm stramineos ego Poëtas,
Enerves vel Apollinis Spadones.

PACIS ENCOMIVM.

Quod sibi quidam aliquando Lupacenus publicis Typis crimine plagiario adscripserat.

SI quid in humanis pulcrum est, atq; utile rebus,
Pax est, pax studiis nata, retenta Bonis.
Aurea Pax dicta est â Vate: ah aurea cur non,
Quæ preciosior est omnibus una Bonis?
Pax genus humanum ditat, pax congregat urbes,
Pax firmat sanctum Religionis opus.
Quid multis? Cœli sunt Incunabula Pacis:
Omnia Pace vigent, omnia Marte ruunt.

IN INSIGNIA RANZOVIORUM, Familiæ in Holsatiâ antiquissimæ & illustrissimæ.

Quænam hæc Simplicitas à noſtro diſſona Seclo?
An non Ranzoviæ *ſplendida origo Domus?*
Fallor? an his paucis ſubſunt quamplurima? duplex
Diſtinguunt clypei forma colorq; latus.
Perfuſum Minio dextrum, Candore ſiniſtrum:
Et pudor ingenuus, Candor & huic generi eſt.
Martia Ranzovios *fecit conſtantia fortes,*
Hinc geminum Cornu Caſſis aperta gerit.
Sancta ô Simplicitas! ô ingenioſa Vetuſtas,
Per vos Poſteritas Ranzoviana *viget.*

IN EADEM.

Nullis Ranzovidum *Res per tot ſecula geſtas,*
Ullus adumbrabit Pictor imaginibus.
Neſciet aſpiciens ſeriem, molemq; laborum,
Quo referat ſolers illa vel illa loco.
Et miretur adhuc aliquis, tam ſimplice formâ
Stemmata Ranzoviam *condecorare Domum?*

IN EADEM AD HENRIC. RANZOVIUM, Regis Daniæ Gubernatorem, Virum maximum.

Cur, Henrice, *tuæ tam nuda Inſignia Genti?*
Nonne Figurarum quis Labyrinthus ineſt?
Ranzovii malunt factis extendere famam,
Tingere quàm clypeos verſicolore typo.

IOACHI-

IOACHIMO A BERG,
Viro nobilissimo & doctissimo.

NVlla tui facta est unquam mihi copia vultus,
Ioachime nobilissime.
Illustri sed digna viro mihi plurima de te
Dixere Amici candidi.
Nostrorum id inprimis gratante Monavius ore
Mi prædicavit hactenus:
In lautâ atq; auctâ Re, sed bene non nisi partâ
Te collocasse Numina.
Præcipuamq; hujus Musis impendere partem
Te Gloriâ ductum Dei:
Nimirum ut multi tua per stipendia Alumni,
Angusta res quibus est domi,
Quod non fors aliàs potuissent discere, discant,
Atq; assequantur Terminum.
Terminus at quisnam tuus illorumq; ? Propago
Divini aperta Seminis.
O satis ! ô sanus tibi quàm memorabile Christus
Acervat ex hoc Mutuo !

VVENCESLAO A ZEDLIZ
& Neukirch, in Ranckan. Illustriss. Ducis Lignicensis & Brigensis Consiliario.

DE HVIVS SECVLI FACIE.

OBsecro, quid nostro tibi, Vvenceslaë, videtur
De Seclo? mussas? pulsat Asellus Ebur.
Virtutis Larvam Scelus induit, omnia miscet
Iudicio prægnans interituq; suo.
Fide, vide, atq; tace: Larvam Scelus exuet olim:
Nunc oculos Procerum fascinat, & lacerat.

AVLA.

AVla Schola est vitæ, sed acutior; Aula Magistra est:
Ergo, tibi tradit quæ documenta, cape.
Fide parum; cautè loquere; audi plurima; multùm
Dissimula; Erratum corrige; magna fuge;
Frena iram; nec te promissis subjice longis;
Disce moras, mores, scommata, cuncta pati.

FORTVNA.

INconstans, fragilis, ventosa, superba, bilinguis,
Subdola, cæca, procax, perfida, tota levis.
Quænam Ea? Fortuna est, quam tanquam Numen adorat
Cum Grege Rex, Natq; cum Patre, Fratre Soror.
Fortuna immeritos dementat honoribus amplis;
Fortuna emeritos viq; dolocq; premit.

Hac

Hac regnante silet Ratio, furor omnia versat;
Graculus ascendit pulpita, cedit Olor.
Fortuna innocuos sub paupertate fatigat;
Et ne uno dignis munere donat opes.
Quod dignis adimit, non dignis largiùs offert;
Deprimit illa Bonos, evehit illa Malos.
Nec fovet assiduè Dea, quos dignata Cubili est,
Nec quos deseruit, despicit assiduè.
O Fortuna potens, quàm tu mirabile monstrum es!
Quid facis? an fas est dicere? Monstra facis.

FINIS SEMITÆ
SECVNDAE.

Epigram-

Epigrammatum

SALOMONIS FRENCELII SYLVVLÆ PRIMÆ

SEMITA TERTIA:

AMATORIA.

LECTORI.

Quisquis es, ex foliis qui dulcibus acre venenum
Colligis, & stimulos suspicionis habes.
His procul os nostris mordax ab Amoribus arce:
Non habet hìc ullum spurca libido locum.
Confer cum nostris aliorum lusibus ignes,
Si vis scurriles nosse piosq; jocos.
Exsulat hinc passerq; salax, fœdusq; Priapus:
Casta puella mihi est; hinc mihi castus amor.
Hìc numerosa Venus cum Pallade prælia miscet:
Iudicium exercet Lusus hic Ingenii.

EIDEM.

Dvcentem vario diversa Epigrammata filo
Mollis Amatorem me quoq; Musa facit.

Ergo

Ergo, utcunq; sequens veterum vestigia vatum,
Pieris, experiar, quantum in amore queat.
Non tamen in nostrá passer lascivus habebit
Arte locum, turgens spurcicieve Pulex.
Non furtiva Cano Cythereæ gaudia Matris:
Lesbia nulla mihi, nulla Corinna mihi.
Immodicos miscet non pagina nostra cachinnos;
Non ea basiolis suaviolisq; furit.
Argutos aliis hos illa relinquit Amores,
Virginei Sociam se memor esse chori.

EIDEM.

NE mirare, mihi quòd Amandula dicitur esse;
Quòd facio Socrum, quòd Soceruma; mihi.
Quod nunc delitias centum, nunc fingo querelas,
Quod modò in urbe jocor, quòd modò rure queror.
Persuadere sinas tibi, quòd sit Amandula in omni
Naturá rerum, quam cano, nulla mihi. (ella
Fata illam invenient quondam: quã fingò, pu-
Ingenii est Lusus, prætereaq; nihil.

AD CONSTANTIAM.

EST Flos, sed paucis nasci qui cernitur hortis,
Et mirum æterno spirat odore Deus.
Est grave nomen Ei: CONSTANTIA dicitur: horto
O Flos in Dominæ nascere, quæso, meæ.

Et

Et patere, ut digitis te carpat mollibus illa,
Et de te nectat serta, paretq; mihi.

AMANDVLÆ SVÆ.

SI, quæ differtur, res non aufertur, & unum
Votum ac fatum uno tempore robur habent:
Si quos una fides, spes unaq; junxit amantes,
Nulla potest mundi dissoluisse plaga:
Non interrumpit geminum si oblivio pectus,
Quod semel ingenuus consolidavit amor:
Esto animi fidens ô dulcis Amandula: fatum
Certius & melius, quod mora tardat, erit.

EIDEM.

QVi negat immotis fieri Connubia fatis;
Non errat, cœlo si negat esse Deum.
Dum visum est fatis, ut bino corpore quondam
Vnum sub thalamum defluat unus amor:
Nec prece nec precio mihi tu juvenumve senumve,
Nec Vetulæ ullius præripuere dolis.
Sta modò, & arbitrio mea nitere Amandula Christi:
Res salva est, si sit Pronubus ipse tuus.

DE AMORE SVO,
In cujusdam Epigramma mordax & ineptum.

Non

Non me ludit amor; verùm ad meliora reservat
Fata: viam invenient hæc, aderitq; Deus.
Non ego tam bardus, mihi tamq; inimicus, ut optem
Corpore non unquam vellera digna meo.
Quid Lauro Taurus, cujus sectatus amorem
Est alius pro me; non ego? testis amor.
Area pellexit me frigida, non ego nuper
Illam: testantur munera, testis amor.
Sordet amor, Fumus quemcunq; volatilis ussit:
Tædia non tanti præmeditatus emo.
Non igitur me ludit amor: te fascinat Error:
Pendet ab arbitrio bella puella meo.
Hanc tamen aversor: nisi credis, consule famam,
Non illos, quorum linguaq; mensq; mala est.
Fœmineum an nescis, Lesbi, genus esse Lupinum?
In prædas inhiat, præcipitatq; gradum.
Vnam unus ambit Mas; unum sæpe Puellæ
Mille volunt: sexus tanta Cupido mali.
Implicat hunc Corbis, quia flexilis, impetit Orbis:
Nam rotat hoc dubium cura superba genus.
Nulla rogata mihi, mihi nulla Puella negata est:
Docta venus mores spectat, amatq; moras.

AMANDVLÆ.

Poscis basia nostra: moram fer, basia donec
Intulero Musis; tunc ego promtus ero.

EIDEM

EIDEM.

OMnia fert tempus (quis neſcit Amandala?) in
Sed tibi, quæ dico, pauca reſonde ſinu. (aurem
Eſt aliquid plenâ legere arbore poma, & amænam
Vngue vel extremo carpere poſſe roſam.

IN QVANDAM.

ESt quædam, quæ me caſtè ſe dicit amare,
Solicitatq; animum fletibus uſq; meum.
Hæreo; nec moveor: quid me importuna laceſſis?
Tam citò ſervili non dabo colla jugo.
Oſcula libabo Muſis, Sobolemq; creabo,
Quæ mea poſt nullâ ſunera morte cadat.
Quòd ſi quando meum feriet Venus ardua pectus,
Et vincet, ſerò vicerit illa tamen.
„Tum caſta, at fuſca, at paupercula Virgo placebit:
Cur? ita ſervili non dabo colla jugo.

AMVLETVM SPVRCI AMORIS. De Motacillâ.

CIrculi in orbe crucē capite, alis, corpore, caudâ
Motacilla facit: Crux Medicina ſacra eſt.
Hæc reprimit Veneris furias: hoc fertur Iaſon
Phaſiaci ſigno vim repuliſſe doli.

ALIVD

ALIVD.

Sæpiùs ad pugnam me provocat Idalis illa,
Sæpe meas vincit, Marte jocante, manus.
Sæpius illa tamen nostris cadit icta sagittis:
Sed quoties vinco, vinco Laboris ope.

IN FOEMINAM FLORENtinam doctissimam.

Es Medica, es formosa, es chari conjugis expers:
Florentina meo sis Medicina malo.

AD ARBOREM AMANDVLÆ

Salve Arbor, salve nostris jungenda racemis;
Te quoties video, pectore surgit amor.
Surgit, & ut magno ducam suspiria motu,
Tu facis altisonis conspicienda comis.
Tu Dominæ vultus nostræ, tu porrigis ora,
Cùm vetat alloquio dissita terra frui.
Alloquor absentem tamen: at tu visa dolorem,
Quo me non gravior concutit, una levas.
Scilicet ægrotis rudior Medicina paratur,
Quando Machaoniâ non datur arte frui.
Perge levare igitur nostrum Arbor amica dolorem,
Dum penitus tollant fata favensq; Venus.
Idq; aut legitimo Sociandi jure futurum est,
Aut incredibili cogar amore mori.

IDYLLION VENATOR.

De Amore Illustrissimi Principis ac Domini, Domini Ludovici, Ducis VVirtenbergici, &c.

PVrpureos Veneris saltus Indagine cinxit
Stemmate Venator nobiliore satus.
Retia disposuit, Venabulaq; aurea, prædam
Capturus, quá vix pulcrior ulla foret,
Nec mora, nunc illuc nunc huc vestigia torquet,
Quá queat aureolo casse tenere feram.
Currenti occurrunt diversa Animalcula: nullum,
Quod placeat manibus, conspicit ille, suis.
Dumq; ita flectit Equũ juga per vallesq; profundas,
En ruit in casses præda petita diu.
Præda, peregrinis via quam deduxerat oris,
Digna & amore hominum, digna & amore DEI.
Hanc avidá capit ille manu, & mox ducit ad Aram:
Ara isthæc vitæ, non Necis Ara fuit.

DE EIVSDEM
Laudatissimi Principis Nuptiis.

TECCIACUM formá præstantem ducere Sponsam
Vidit ut in thalamum subdita turba DUCEMi
Exsiluit gestu, plausu, & clamore secundo,
Atq; his Lucinæ solicitavit opem:

Nunc

Nunc operi Regina fave, & miserere precantûm,
Hæredem ut videam subdita turba pium.
Excipe felici Sobolem per Numina partu,
Quæ servet Patriam, quæ recreetq́; Patrem.
Excipe, nec differ (nocuit mora sæpe roganti)
Quod te tam sanctum Patria poscit opus.
Da mox LUDVICI *pulcer* LUDOVICULUS *aulâ*
Laudat, & à cunis discat amare Deum.
Hæc super Idalio fecit Lucina loquelas
Ore: bibi vestras aure favente preces.
Pertrahit in votum pietas me vestra, Ducisq́;
Virtus, inprimis maxima Cura Dei.
Vos modò ne Superos absistite sæpe precari:
Vota suum per Eos sunt habitura locum.
Audiit hæc Cytherea Venus, sicq́; orsa repente:
Quid sine me facta est copia tanta tibi?
I, quem promittis, duc me prohibente laborem,
I DEA, *& augeto prole superba Genus.*
Huic LUCINA: *nihil factas temeraria Mater:*
Cede, Venus non es; VRSULA *sola Venus.*

QVALIS VXOR DVCENDA:

Lucas Geizcoflerus I. V. D. ad Salomonem Frencelium.

ERgo mihi Vxorem qualem ducam? anne puellam?
Hæc forsan veniet non satis apta mihi.

An viduam? Dominam quis possit ferre tonantem?
An vetulam? toleret quis patienter Anum?
Fœcundam? fœcunda Domum mihi prole gravabit:
An sterilem? sterilis non decus Arbor habet.
Pauciloquam? non me poterit recreare loquendo:
Verbosam? mulier res odiosa loquax.
Formosam? variis est subdita forma periclis:
Deformem? pœnam ducere numquis amet?
Sic quocunq; meus se vertit nubilus ardor;
Apparent socii damna verenda tori.
Niq; genus vitæ hoc sanxisses, Christe, ligatum,
Libera quis cuperet subdere colla jugo?
Sed quoniam mos est Legiq; Deoq; gerendus:
Si dare vis Sociam, da mihi, Christe, piam.

FRENCELII RESPONSVM.

ERgo rogas, qualem tibi ducas? anne puellam?
Tam docto nubat quæ minùs apta viro?
Non viduam? norunt viduæ indulgere Maritis:
Cur non fœcundam? Prole foventur opes.
Cur non pauciloquam? poteris dare tempora Musis:
Cur non verbosam? dulce in amore loqui.
Formosam? quam non commendat Forma Puellam?
At sterilem, informem non probo, nec vetulam.
Si tamen una tibi continget, Amice, priorum;
Sit modò grata Deo, grata sit illa tibi.
I nunc, & rogita, quænam ducenda sit Vxor,
Cum, tibi quæ nequeat nubere, nulla siet.

IN

IN NVPTIAS SECVNDAS, ILluſt. Dom. Dom. PAVLLI SIXTI TRAVTHSON, Conſil. Cæſ. intimi, & ſupremi Mareſcalli, &c.

NEſcio, cur Vulgus dicat, quòd nubere Majo
Menſe malum? Majo nubere dulce opus eſt.
Hoc Elementa docent coëuntia fœdus in unum
Hoc Menſe; hoc rerum comprobat ipſa Parens.
Inſpice aquas, ſilvas, valles, plantaria, montes,
Hæc generant fructus cuncta feruntq; novos.
Paulle tuum inceptum pulcrum eſt, Superisq; probatum:
Ecce tibi hoc cœlum terraq; Menſe favent!
Cui cœlum, cui terra favet, gerit omnia rectè:
Ergo eat in thalamos Anna *venuſta tuos.*
Anna *ſecundus Amor, nuper* Montfortia *Conjux,*
De Lobcovitiâ *Gemmula ſtirpe ſata.*
Hanc include toro: vix me præſagia fallent:
Gemma feret generi gemmea dona tuo.
Filius *es* Fidus *Patriæ,* Patriq; Rodulpho,
Vnde etiam Trauthſon *diceris, eſq; bonus.*
Quòd ſi Filiolos tales tibi proferet Anna;
Dicam rem Majo nubere Menſe bonam.

ILL. DOM. BAR. DOM. SIGEFRIdo à Promniz, Cæſ. Conſil. ſecundùm Sponſo, &.

IN NOMEN SPONSÆ EIVS.

A Bonitate gerit nomen tua Sponsa: Benigna est?
Est à Pace tibi nomen, eamq; colis.
Quòd si convenient his semper nomina rebus,
Prosperius thalamo quid rear esse tuo?
Sed bene convenient: namq; ex Bonitate resurgit
Pax, ex Pace quies, grata quiete salus.
Vnde tamen Bonitas primordia sumit? ab uno,
Omnia cum possit, qui malus esse nequit.
Ergo cum Bonitas ortum sibi vendicet istum,
Vnde nisi à Domino juncta Benigna tibi?

AD EIVSDEM SPONSAM.

ACcusat plerasq; Parens Natura Novercas,
In Sobolem quòd eis Mens minùs æqua viris.
Mite tibi nomen, facies proba, blandula vox est:
Ergo Privignis esto benigna tuis.
Sunt teneri, sunt massa tui sanguisq; Mariti:
Si constanter amas hunc, quoq; pignus ama.
Aspice, te quanto Vir complectatur amore?
Tu par redde pari: mox tibi fœnus erit.
Quid moneo? cum tu sis nomine, req; Benigna?
Propterea duplici nomine Mater eris.

IN VTRIVSQVE SPONSI NOMINA.

CVi Pax & Bonitas dextrâ levâq; columnas
Se præbent, thalamo firmius ecquid erit?

QVA-

QVATVOR CARA.

Quattuor arrident mihi delectamine pleno,
Et pariunt oculis gaudia mille meis:
Pulcer Equus, pulcerq; Canis, pulcerq; Libellus:
Quid quartum? è pulcris bella Puella placet.

IN SPONSAM ILL. DOM. BAR. Dom. HENRICI ANSHELMI à PROMNIZ, S. Cæs. Majestati a poculis.

PRomnitius *tacito versabat pectore curas,*
Quam Sponsam in thalamū duceret ille suum.
Quærebat pulcram, mitem, & pietatis amantem:
Inventa est: qualis? quanta? Sophia *fuit.*
Munera quot mentis nomen complectitur unum:
Munera Promnitii *Sponsa tot una gerit.*

DE EADEM.

CVm *Venus* Anshelmi *florentem ætate Puellam*
Promnitii *Sponsam cerneret, erubuit.*
Riserunt Nymphæ, vox & fuit omnibus una:
Tune Venus? sed non sola? Sophia *Venus.*

DE EADEM.

LVcina Anshelmo *cùm nubere dia* Sophiam
Audiret, tales edidit ore sonos:

Quàm fœtura mihi segetem feret hæc nova pulcram!
Spes bona! pulcer Ager, pulcer & Agricola.

IN NVPTIAS NOB. DOM. IOAN. GEORG. GRISBECK à Grisbach, in Rosenthal.

EN Autumnus adest, abit æstas, Iane Georgi,
Sed non æstus abit pectore, Iane, tuo.
Imò æstus te major adit, totumq; perurit,
Vt nunc Æstatis tempus adesse putes.
Scilicet egregiam probitate atq; ore puellam
Ardes Bechinîâ Nobilitate satam:
Cui Genitor laude insignis, Regniq; Senator
Bojemi, Procerum pars bona, Gentis honos.
Hæc pariter flammis te, sponse, potentibus ardet
Plena verecundis Elisabetha jocis.
O animi felix impressio, tantus ubi æstus
Cor subit, æstivum tempus ut ire putes!
Omnis amor sanctus, si puros suscitat ignes;
Sed si non puros, improbus omnis amor.
Ergo animo certam spem concipe, præmia amori
Esse tuo auspiciis certa parata Dei.
Villicus Horto instat mox primâ æstate, Vietor
Pampineos colles, Rusticus arva colit.
Villicus Autumno pira, pomaq; flava, Vietor
Botros, Frumentum rusticus omne capit.

Et

Et tibi nunc æstas spirat: quòd si uteris illâ
Sponse, sub Autumni tempore fructus erit.

AMANDVLÆ SVÆ.

VSq; adeò tutum nihil est in amore, quod ausit
Non comes invidiæ carpere Livor iners.
In quibus esse fides debebat maxima, in illis
Est, (quod mens horret dicere) nulla fides.
Tales sunt, alii qui nomina Resq; crepanti
Te clam devovcant, invideantq; mihi.
Vtq; tuam expugnēt, patiens ô Amandula, mentem,
Vtuntur variis artibus, atq; dolis.
Quid tum? deditio (quod nō puto) si qua futura est,
Illa mihi cedet nobiliore toro.
Sæpe nimis serum est, spretos revocare hymenæos,
Sæpe repentinum, Splendida amasse, nimis.
Vespere sæpe Vlulam, qui sprevit Acanthida manè,
Ne cepisse, Auceps, nil videatur, habet.

M. MARTINO STROMAIER Constantiensi, Ingolstadio in Patriam redeunti.

AVT Amor exstinctus tibi in hoc, Martine, Lycæo
Ampliùs optatos continuare dies:
Aut, quia ferratam magnes trahit undiq; molem;
Te Magnete ardor fortior inde rapit.

Aſt amor exſtinctus non eſt Martine *Lycæi*:
Ergo amor alterius te rapit inde rei?
Hæres? hæret amor: pudor hæret in ore: quid ultrà?
Nempe calore color naſcitur, arte favor.
Arte paratur amor, partusq; labore fovetur:
Dulcem operam & finem, qui bene cepit, habet.
Doctus amare libros es, doctus amare Puellas:
Hinc labor eſt duplex, hinc geminatus amor.
Unus te faciet Patriæ, cum laude, Miniſtrum,
Alter te vegetum prole frequente Patrem.
O amor! ô labor! ô votum pia fata ſecundent!
Tunc tu me Vatem dixeris eſſe tuum.

EIDEM.

Hyberno quòd ſole audet Martinus *inire*
Longum iter, horreſcit nec glaciale gelu:
Nil mirum: haud friget, rupes ſi frigora rumpant,
Tantus eum in toto corpore torret amor!

PRO D. LVCA GEIZCOFLERO I C. Sponſo, in Cœnâ Dom. Baronis Ferdin. Hofman, &c.

Ah nimis, ah Catharina, *tuis complexib⁹ abſum,*
Eſto tamen patiens ô Catharina *moræ.*
Patiens; in me mora non erit ulla: memento,
Quòd penſent longas gaudia ſera moras.

IN

IN ADOLESCENTVLVM Amatorem.

Tam serò te, blande Puer, summittis Amori,
Debebas pridem qui subiisse jugum.
Ergo moram castigato: cape fortiter arma,
Quæ si Virgo negat tradere, Virga dabit.

IN NVPTIAS IOAN. NOvomiestii, & Catharinæ Piscenæ.

INgenuo quotquot flagratis amore Puellæ,
Carpite nunc tenero, dum licet, ore rosas.
Carpite, & arte, manuq; agili nova nectite serta,
Et date eis, quorum vos tener urit amor.
Dum loquor, ecce tuis sese complexibus effert,
Et doctè nexas dat Catharina rosas.
Omen inest dono Rosa candida, candida Virgo,
Subruber est idem flos, rubet ecce pudor.
Pura rosa est: pura est & nomine & omine Virgo:
Quod purum, gratum est: grata puella tibi.
Ecquis odoratus magis est Flos Flore Rosarum?
En tibi cum sertis pectus odoriferum.
Omnis amor constans arcanum spirat odorem:
O constantia Flos optime cinge caput;
Cinge puellares vittas, & pectus amatum:
Nam te nil nisi vult pulchrius almus Amor.

Restix-

Restinguit Rosa fervorem: restinguet eundem
(Ne dubita) in mente & vulnere Sponsa tuo.
Forma coronarum solida undiq; pulcra, rotunda est:
Quod solidum est durat; sic bene durat amor.
Duret amor vester, Novomiesti, & perpete fructu
Floreat: ô felix, qui bene durat amor!

DAVIDI HELLIO IC. EXcellentissimo, Sponso, Professori Ingolstadiensi.

Flos roseis circum ora genis, flos lucet ocellis,
Flos niveis manibus, flos pedibusq; nitet.
Quis tam formosam genius, quæ pronuba Sponsam
Sic potuit thalamo conciliare tuo?
Florentina *tua est*, Helli, *Flos bellulus ipse:*
O tibi bellum, Helli, *floreat inde genus!*

PAVLLO GITSCHINIO, Viro optimo, de nato Filiolo.

Quòd sis fœcundus Pater, & pius, & bene doctus;
Indicio Proles masicula, Paulle, *tua est.*
Masicula fœcundi nota creditur esse Parentis,
Id quod Aristoteles, & ratio ipsa docet.
Quòd doctus benè sis, hic Plato quiescere mandat,
Quòd pius; hoc fidei publica norma docet.
O felix,

O felix, ô nate recens memorabilis Infans,
Qui titulis ornas teq; Patremq; tribus!

IOAN. PAPIO MED. DOCTORI, Illustris Scholæ Provincialis Græcii in Stiriâ Rectori.

Quæ te cunq; manet, thalamo socianda jugali,
Sponsa, piam et suavem moribus esse precor.
Quæ tibi cunq; suum consecratura pudorem est,
Suave tui columen Nominis esse volo.
Quæ tibi mellifluis est certatura subinde
Basiolis, dignam laudibus opto tuis.
Quæ tecum est felix clausura fideliter ævum,
ANNÆ dulcisonum nomen habere velim.
Anna DECUS thalami, digiti velut Annulus: Annis
Anna viret: PAPI quid precor? ANNA tua est.

NIGELLUM ET CANDIDUM.

Σύμβολον ἐρωτικόν Dom. Bar. Ehr. à Min. &c.

Si niger est albo junctus color; hæret, & urit;
Si probus & constans, hæret & urit amor.

ALITER.

Alba placent, & nigra placēt: color ardet uterq;:
O Agnes nigris ardeat alba comis!

ALITER.

ALITER.

AGnes est Magnes: ferrum trahit ille; sed illa
Cor ardens: utinam sic trahat, ut rapiat!

M. MICHAELI REICHARDO secundùm Sponso, inclitæ Acad. VViteberg. Professori. V. CL.

QVid, REICHARDE, novi? quæ permutatio vi-
Et mortis thalamum fertur obire tuum? (tæ
Siccine fata gerunt morem tibi? siccine Amorem
Pro libitu renovant obsequiosa tuo?
Nuper erat Matrona tori longissima consors:
Nunc lateri aptatur bella puella tuo.
Macte! vir es, si fata tibi parère recusant
Nulla, Venus ceptis & favet alma tuis.
Hoc est, cum vitâ mortem mutare: placetne
Conditio? risum quid premis ore? Vir es.
Macte! joci sed nunc satis esto: secundet Amorem
Sponse tuum, mutat qui citò cuncta, Deus.

AMANDVLÆ.

DVplex vita mihi, cui te mediam ingero, Mors est
Vna: vin', ô mea Lux, clariùs ista loquar?
Mors mea, si me absente alius tibi claudat ocellos:
Altera Vita mihi Musica, prima Deus.

DIALO-

DIALOGVS NVPTIALIS

Iacobi à Thill, & Marthæ Gugeliæ Sponsorum, Norinbergensium Patriciorum.

Musicis numeris expressus.

IAC. *Salve festa dies, ad sacram ducitur Aram*
Quá desiderium blandula Martha meum.
MAR. *Salve optata dies, ad amœnã ducitur Aram,*
Quá Iacobus amor Deliciumq; meum.
IAC. *Et mea tu salve Martha, ô mea Martha, pudore*
Quæ mihi sola, Deo quæ pietate places.
MAR. *Salve & tu Iacobe, ô mi Iacobe, relucet*
Cujus ab aspectu nil nisi dulce decus.
IAC. *Fortunata dies, quæ me tibi copulat!* MAR. *ô*
Quæ pia fortunat fœdera, læta nimis? (*Lux,*
IAC. *Christe fave votis:* MAR. *Et vos pia fata favete:*
IAC. *Christe toro Sobolem da,* MAR. *pia fata piam.*

AMOR GALLI GALLINACEI.

GAllus amat Venerem: cur? cucuricurit ad illam,
Et post confectum cucuricurit opus.

GALLI-

GALLINÆ.

Quàm Gallina teres parit ovum, gloccinat antè,
Gloccinat & positum post grave rursus onus.

NVPTIIS IOAN. BECKERI Musici Cæsarii.

Musica lætitiæ signum tape; Musica Sponsa est;
Musicus est Sponsus, Musica docta Venus.
Vrsula Beckero nova ducitur Vxor, amoris
Plena, decens facie, moribus, arte manus.
Ergo velut gaudet concentu Musica miro:
Hos inter sic sit consona Vita duos,
Musica dat dulces cantus, Concordia fructus:
Vrsula Beckero pignora cara ferat.

DAVIDI GVNTHERO. ob Sobolem.

Irene cum sit tibi Filia nata, Sorores
Quid plures dubitas associarè toro?
Irenen sequitur Concordia, Elisa, Benigna,
Iustina, Euphrosine, Clara, Sophia, Fides.
Has tua si Conjux Irene nixibus edet;
Reddideris felix aurea secla parens.
Aude aliquid Günthere: Deo vegetante calescet,
Totæ Puellarum constituere Pater.

Quis

Quis tum te fuerit Genitor fœcundior alter?
Quisve tuum vincet nobilitate torum?
Ecce novem numero fuerint, quot in ordine Musæ?
Prò quàm tu pulcro pro grege Phœbus eris!

IN ANVM LASCIVAM.

Præveniens thalami Ius, et Meretricula, et Vxor,
Et vetula, hei peperit ter tribus icta procis.

Ἀκρόστιχ.

LVCRETIA MODESTA:

Sponsa Secunda celeberrimi Musici Organici S. Cæs. Maiest. Paulli N. Belgæ.

Lux mea, cui primũ est Pietas, Lucretia, Donum,
Cur mea sic torques tibi dedita pectora? fat O
Religiosa pio cede, ô Lucretia, mentem a D
Exemplum compone DEI, qui gaudet amor E
Tam casto, Mens quã casta Ipse est: Ipse jugale S
Incendit tædas. tales tibi pectus aduran T,
Ac tibi me jungant LUCRETIA, TOTA MODEST A.

NVPTIIS IOACH. SMIDII Patricii Gorlicensis, V. CL.

Sponse tibi Fabro nomen, Gemmæq; Puellæ est:
Aureolo gemmæ cingier Orbe solent.

Si Faber es, si Gemma tibi est, aurum unde parabis?
Fallor? an è liquido pectoris igne tui?
Excute, quod sub corde foves, excudeq; molli
Arte; hac dignus enim gemmeus esse nitor.
Hanc Gemmam tenero si scitè impresseris auro,
Quisq; Fabrum dicet te, IOACHIME, bonum.

EIDEM SMIDIO.

VEre novo violæ benevolentes arva colorant,
Candidaq; auricomis lilia mixta Rosis.
Vtere vere tuo; SMIDI, quod amœna Puella est:
Hæc superat Violas, lilia blanda, Rosas.

AMANDVLÆ.

NE dubita, memoremne tui, mea Amandula, mentè
Sustineam, longũ dum tero mœstus iter.
Nunquam Sol lucem, nunquam nox astra reducit,
Quin gemines solitas, ô mea Cura, preces,
Te modò ne pietas in me, ne deserat ardor,
Neve sit absenti perniciosa Fides.
Interea si te quis Comtulus ambiet Heros,
Ne splendore tuum cor moveatur apum.
Has etenim qui plùs animi quàm munera spectat,
Erroris pœnam dat minùs ingenui.
Non quidvis aurum est, quod amœno sole coruscat,
Sæpeq; sub finem splendidus Emtor eget.
Si tamen haud falsus color est, quàm sæpe secundis
Pœnituit primos posthabuisse procos?

Conjugis

Conjugis ah si non fieres, sed fortè Tyranni
Conjux (fata procul quod removere velint)
Cogerer injustæ nimiùm memor esse repulsæ,
Atq; tuam toto corde dolere vicem.
Quid moneo? meane hoc committat Amandula, ut
Pro precibus curas ingeminare meas? (ausit
Quin priùs, ac animo nascatur opinio talis,
A mente incipiam, ô mens mea, abesse meâ.

IN DOMVM IVDICIS.

VXore, Ancillâ, Natâ, plena omnia Scortis:
Iudicis hæc Domus est: Iudice digna domus!

IN DIEM NVPTIARVM VVEN. Placelii ab Elbinga, V. CL.

Dii faciant Omen, mi VVENCESLAE diei,
Intravit thalamos quâ nova Sponsa tuos.
Insignita dies FELICIS nomine, quâ te
Felicem effecit nobilis ANNA Virum.
Felix conjugium, tua felix Annula, felix
Progenies, felix sit tibi, quicquid ages.

IN ADVLTERVM DEPRÆHENsum cucullatum.

PInguis Adulterii Monachus deprænsus in actu
Conditus infami cum Meretrice loco est.

Hic Præsul Fratris læsum indignatus honorem
Rem defert multis quæstibus ante forum.
Respondet Iudex (is enim Reus) omnia paucis
Expediam, & verè, res velut acta, loquar.
Inter opus medium quidam est deprensus Adulter
Cum Mœchâ, & cæco carcere clausus heri.
Quòd verò in Monachum Satanas mutavit eundem,
Me factum fuerit quâ ratione, latet.

IOCVS.

Ex novo & veteri Stylo Calendarii.

IN lucem quâ luce Styloq; quis editus esset
Talia nescio quâ mente rogatus ait:
Sacrâ luce, stylo veteri: rideret ut ille,
Hic veteri genitum se negat esse Stylo.
Nam; ego primus, ait, peperit quum Mater, ut in-
illâ, novo genuit me Pater ergo stylo. (quit

DE AMANDVLA SVA.

MEntitur quicunq; meam dare verba Puellam
Asserit: esse nequit perfida, fida simul.

EIDEM.

QVod mea Spes, mea Lux, te corde medullitus,
Carior ut magnæ sis mihi lucis, amo: (usu
Quòd mea tu claudis somno, recludis & absens
Lumina, ne quis sit te sine dulcis amor:

Quòd

Quòd splendore tuo mentis nigra nubila nostræ
Dissutis, ut pectus molle serenet amor:
Quod mihi Materias scribendi potus, & Esca es,
Vt desiderii tædia vincat amor:
Non adductor opum rabie, quâ liber abhorret
Omnis homo: curam, nubere nolo tibi.
Ore verecundus pudor, ingenuique character
Sermo animi casti semen amoris alunt.
His cordata præit pietas tua, cuius es hæres
Ex Patris ingenio, Matris & arbitrio.
Nunquam discedo de te, repetoque penates,
Quin auctæ stimuli me pietatis agant.
Tanta tibi Virtus? quid fiet Amanduta demum,
Cùm Deus optato jungat utrumque toro?

GYNÆCEI STVDIA PER gradus ætatum, in Vrbe quadam ampiâ.

Dena ætate proba est, bisdena puella futata est,
Terdena egregiè fila pererrat acu.
Demum degenerat, Cererem Bachumque propinans,
Cum quatuordena est: proxima serta parat.
Liba coquit sexdena, coquit Farcimina: septem-
-dena procos auro cum Meretrice ligat.
Inde Veneficiis sese octodena parandis
Obligat, ad tumulum proxima carpit iter.
Tunc venit ad centum Mors insuperabilis annos,
Atque animam magni fœnoris instar habet.

Si nescis, quæ sint oracula nostra, fatebor:
Vrbs una & non vrbs una tot astra colit.

IN CITHARISTRIAM AVgustanam, Matronam Patriciam.

ORe manuq; sonos cieat cum fœmina dulces,
Quis dubitet, num sit Virgo, vel ipsa Venus?
O mihi contingat si talis Elisa *petenti,*
Quæ valeat numeris me recreare suis!
Si sit egena; tamen mihi carior illa futura est,
Quàm quæ dives opum sit rudis ingenii.

IN EANDEM.

SI quis cantantem non contempletur Elisam.
E cœlo niveam juret adesse Deam.

IN EANDEM.

ANtè novem Musæ, nunc sunt bis quinq; sagaci
Pectore se decimam fecit Elisa *Deam.*

EXERCITIVM

In conventu Funebri PETRO CAPELLAE & FRENCELIO, ab illustri Barone Pragæ propositum, de ERASMO QVINTO Cæs. Secretario.

PET.

PET. CAPELLA.

SPem Lucina toro indulsit, generiq; futuro:
Invidet hanc sortem sed Libitina toro.
At ne, Quinte, animum dimitte; sed acriùs ista:
Quæ superest, plurâ prole beatus eris.

FRENCELIVS.

SPes prima abrepta est; restat spes altera, restat
Tertia, quarta tuo, quintaq;, Quinte, toro.
Urge opus: aspirent operi Lucina Venusq;:
Dulce tibi Quinto nomen, id omen erit.

PET. CAPELLA.

LVdere si suetus parcit testudine Quinta
Ille potest ludum continuare suum.
Sic quoq;, Quinte, tua sapiens parce utere Quinta,
Si cupis hoc longo tempore amore frui.

FRENCELIVS.

POlicitus sum quinq; tibi Spes, pignora quinq;;
Hæc si consequeris, desine Quinte, satest.
Nam plerumq; solet disrumpi Quinta trahendo
Chorda: igitur Quintæ parcito, Quinte, tuæ.

AMANDVLÆ.

MIror, cum possit vitam dare solus Iöva,
Quod mihi Amandula das vitam, adimisq; mihi.

NVPTIIS SECVNDIS DOM. IOANNIS SEDNIZKI, & ANNAE BVTOWSKIANAE, nobilissimorum Conjugum.

Majus adest, Anni pars jucundissima, tellus
Quo quasi cum cœlo conjuge Sponsa coit.
Namq; Elementa suum renovant hoc tempore fœd⁹,
Et Natura novos gaudet inire toros.
Quicquid alit tell⁹, quicquid mare, quicquid & æther,
Hoc sibi Mense parem quærit, amansq; fovet.
Quid mirum, hoc ineunt homines si tempore fœdus
Conjugii, unde suum crescat in orbe genus?
Naturæ Exemplum Sednitius *ergo secutus,*
Jucundum, felix, utile cepit opus.
Ducit enim in viduum viduatam Conjuge Sponsam
Mense torum Majo. nonne quod omen inest?
Exsuit hibernam Natura hoc Mense senectam,
Vestiturq; habitu deliti sa novo.
Sic & Sednicii juvenescit amœna Senectus:
Formam Aquila assumit ceu generosa novam.
Hinc arridet adhuc Veneri, & Spem suscitat altam,
Hinc illi arridet rursus amica Venus.
Hinc vegetusq; Senex Annæ *placet,* Anna Ioanni:
Hinc hodierna tori gaudia firmat Amor.
Firmet, ut egregium Ianoq; Annæq; *laboris*
Egregii fructum gaudia cepta ferant.
Quis dubitet? Sponsis præsens favet Aura sereno
Sole, Elementa favent omnia: fructus erit.

AMAN-

AMANDVLÆ DE NOMINE.

NOn mihi, verùm aliis hoc nomen, Amandula, fingo:
Mî satis eſt aliud noſſe, quod Vnda dedit.
Res eſt mira tamen, quàm tu mihi viſa fuiſſes,
Nomen perplacuit ſemper, Amica, tuum.

EIDEM.

AVt me dic hominem, ſi vicero, Amandula, amorem
Cara tuum, aut ſaxum, ſi quoq; victus ero.
Sed quam te dicam, ſi primo abſente Sodali
Abs alio vinci te patiare Proco?
Quàm? vel felicem, vel factam ſponte miſellam?
Qualis te ducet, tu mihi talis eris.

IN SERTVM AB AMANDVla miſſum.

HOc, propriis manibus quod legit Amandula, ſertum
Non marceſcentis ſemen amoris alit.

M. MICHAELI REICHARDO, Profeſſori Vvitebergenſi, de bonis Conjugii Auſpiciis.

QVàm, Reicharde bone ô, nobis bona Nuncia mittis
Conjugii auſpicio de meliore tui!

Pro voto Vxorem mihi fata dedere; puellos
Hæc enixa duos est mihi, scribis ovans.
Qui dederat, primùm retraxit: Homonymus alter
Lusitat in gremio nocte dieq; meo.
Tertius in promtu est, sed adhuc in carcere Matris
Fœtus: sit Generis cujus, Amice, rogas?
Aspiret tantùm tremulo Lucina labori,
Et mox sit Generis cujus, Amice, scies.
Exeat ergo bonis seu Mas seu Fœmina fatis:
Et tum, cresce Puer, cresce Puella, canam.
Sit bene defuncto, velut est bene; sit bene vivo
Interea; Is referat nomine Req; Patrem.
Sit bene venturis, & qui nascentur ab illis,
Vt decorent stirpem Germina multa suam.
Hæc per vota tibi tua Nuncia sponte remitto:
Cur ita? nam nondum mittere nostra licet.

VXOR QVÆ LAVDANA.
Ad Amicum Sponsum.

Sponse boni Patris Soboles bona, ducitur Vxor
Culta, decens, dives, blandula, cara tibi.
Tene ideo dicam perfectâ Vxore potitum?
Non, quia perfectum non habet illa decus.
Qui sic? pulcra quidem, & dives tibi ducitur Vxor:
At Pia num? testis publica fama venit.
Quando igitur pia, pulcra, decens, & blandula Spō-
Felicem agnosco te, bone Sponse, Virum. (sa est;

Barba-

Barbara nil ergo minùs est, quàm barbara: grator
Hanc tibi Barbariem, mi similemq; precor.

IN AMOREM HONESTVM.

QVi non formosæ casto ardet amore Puellæ,
Angelus estne bonus, dic, vel inanis homo?

AMICO AMICAM CVI CONciliare debuerat.

NE moriare, tuæ refero responsa Puellæ;
Dicam, si non vis falsus amore mori.
Ter rogitata refert roseo suffusa pudore:
Desine me Comiti conciliare tuo.
Si tu blande fores, qui nostrum ambiret amorem,
Acciperes animi sensa repente mei.
Hem latet hic anguis! Tu ne moriare; sed esse,
Disce, opibus vero nullum in amore locum.

IN NOMEN AMANDVLÆ.

EXprimo quòd nullum, sed nomen fingo Puellæ,
Cor nostrum dubio dicis amore trahi.
Ne me subsanna: nomen quodcunq; Puellæ,
Et quæcunq; illa est, est mihi certus amor.

DIALOGVS VIRGVNCVLÆ VESTALIS & Adolescentis.

CVm mihi non formam generosa Iuventa negarit,
Nec tibi, quid genio nos vetat esse pares?

Nigra

ADO. *Nigra monet vestis, ne consecteris amores:*
Nigra relinquo suis, candida cautus amo.
VIR. *Nigra tamen vestis niveos hæc contegit artus,*
Candidulosq; pedes, molliculumq; femur.
ADO. *Nupsisti Christo: votum hoc violare quis ausit?*
Sponsa Dei es: velum quod docet esse sacrū.
VIR. *Quid velum? abijciam; deponam deniq; cuncta,*
Inq; tuum saliam nuda puella sinum.
ADO. *Esse etiam amoto tamē haud potes altera velo:*
Desponsam Christo lædere culpa nocens.
VIR. *Culpa quidem; verùm leviuscula: lædere nō est*
Lædere sic: semper non juvat esse probum.
ADO. *Ergo aliquid genio dandum? reminiscere voti*
Virgo tui: furias reprime: Sponsa Dei es.
VIR. *Hei rem difficilem suades, me deniq; vincis:*
Gaudeo me victam vocibus esse tuis.
ADO. *Peccandi fugienda Bonis Occasio: Christum*
Aspice, nos homines, Virgo: maneto Domi.

AMANDVLÆ SVÆ, in procinctu Itineris.

AH nunc tempus adest, quo gaudia mille, susurros
Mille, jocos totidem distrahit una dies.
Ni Spes restaret redeundi ad gaudia mille;
Vita nihil minùs hæc, quàm mihi vita foret.
Te verò interea mea Spes, mea cura, quid horter?
Immemor esse tui si potes, esto mei.

EIDEM.

EIDEM.

Non amat; insanit, verum qui comprobat illud,
Quantũ oculis, animo tam procul ibit amor.
Nam meus heu (peccas, nisi dulcis Amandula credis)
Quàm procul ex oculis ibo, manebit amor. (dis)

SVO CARISSIMO RIVALI.

REs nova! Rivalem Me dicit habere Puella:
Tunc es Rufe? Tua est, dummodo nostra velit.

EIDEM.

NOn mea vult Nummos; sed vult mea Amandula mores:
Non est Nummatus; sed bene cultus Amor.

EIDEM.

VVlt mihi, vultq; tibi mea Amandula, idem tamen haud vult:
Parce: meam dixi: non tua Sponsa mea est.

EIDEM.

Solicitare torum te dicit Amandula: Amicus
Es mihi, qui, quod amo, tu quoq; fidus amas.

EIDEM.

Illam ambis, quæ me vult, & te velle recusat:
Insta, tota mea est dimidiata tua.

EIDEM

EIDEM.

ILlam consortem thalami optas : illa recusat :
Cur dubites ? pactum fœdus id est medium.

EIDEM.

REs nova, Rufe, Meam te ter cupiisse : puellas,
Res vetus, annosos non redamare Patres.

EIDEM.

NOstra Puella tui vis ut capiatur amore ?
Virtutes odio fac onerare sciat.

EIDEM.

SI rem mirari deformem creditur ille,
Qui sine Rivali Phyllida solus amat.
Approbo, quòd placeat tibi Amandula nostra : sed illi
(Nescio qui fiat ?) non bene, Rufe, places.

AMANDVLÆ.

RUmpitur invidiâ, carissima Amandula, quidam,
Exemplo quòd tu me Genitoris amas.
Rumpitur invidiâ, quòd rus accedo paternum
Nonnunquam, atq; tibi vix tria verba loquor.
Rumpitur invidiâ quòd ad ora parentis amici
Sæpe Thalia meam sustinet apta vicem.
Rumpitur invidiâ, quòd, dum mihi provida servent
Fata fidem, spondet Sors mihi dulce Bonum.

Rumpi-

Rumpitur Invidiâ, quòd amor, legor, audior, ornor:
Rumpatur, quia vult, protenus Invidiâ.

DE EADEM.

Laudibus indignos ne tollat Amandula, laudat,
Non plures: unum me docet esse Virum.

AMANDVLAM SIBI IAM FIdem conjugalem promisisse.

Ad Mecœnatem suum Dn. Bar. Guil. ab Oppersdorff.

Mira Dei est ratio! nihil hoc renuente beatum:
Exspectata diu sæpe dat una dies.
Cùm locus est precibus; tutò consortia fiunt
Omnia: sunt votis obvia cuncta piis.
Sic mihi, Mecœnas, perbella puellula tandem
Promisit thalami jura, deditq; fidem.
Scin', quænã? an rogitas? Illa ipsa, Patrone, jocandi
Quæ mihi Materies hactenus una fuit.
Illa, mihi hoc habuit quæ nomen, AMANDULA,
Impressit numeris quodq; subinde meis. (soli,
Cum quâ sermones tot amico Idiomate dulces
Conserui: testis Pagina plena jocis.
Illa HEROINAE *mihi commendata decoris*
Laudibus, Vxoris nempe, GUILELMI,
tuæ.

Cujus

Cujus amor, pietas, constantia, forma, genusq́;
Hactenus à Musis sunt celebrata meis.
Ingenii de quá tot lusus, somnia, nostri;
Carmine quæ toties jam MEA dicta fuit.
Hæc Mea nunc tota est: in vota jugalia tantum
Fata immota SUO tempore juris habent!
Ecce mihi hæc (adeo memini) præsagia lusi
Annos, his ipsis versibus, ante decem.
Quòd si quando meum feriet Venus ardua pectus,
Et vincet, serò vicerit illa tamen.
Tum casta, & fusca, & paupercula Virgo placebit:
Talem dant votis nunc pia fata meis.
Non ita pòst dixi: (jam septima vertitur æstas)
Forsitan Vxorem Villa pusilla dabit.
Villa pusilla fovet nostrã ecce, GUILELME, puellam:
Nunquid me Vatem fatum in amore facit?
Quid restat? nostrum, ô Mecœnas, provehe ceptum,
In thalamum ut veniat, te Duce, Sponsa meum.

AD EVNDEM MECOENATEM suum, de Equo Nuptiali.

LIttera pro linguá loquitur, pro pectore charta:
Hanc Libertatem gaudet habere pudor.
Ecquid adhuc petii, mihi quod, Patrone, negasti?
Naturæ Bonitas hæc generosa tuæ est.
Unum restat adhuc, quod nostrum spectat honorem;
Idq́ quod & possis, si modò posse velis.

Quodq́

Quodq; negasti aliis primùm, tandemq; precando
Victa animi Pietas præstitit alta tui.
Olim par habitus Victoribus atq; Poëtis
Est honor: utrisq; Laurea parta fuit:
Illis, quòd manibus straviſſent fortibus hoſtem:
Iſtis, quòd canerent fortia facta Ducum.
Vna ô felicem me tecum parte, GUILELME,
Eſſe opto: hanc laudem me ſine ferre tui:
Vt qui te impavidè rapidum geſtavit in hoſtem,
Me Sponſum ad Veneris prælia vectet Equus.
Non ero (nam Iuvenem juvit me diſcere plus quàm
Litterulas) tanti Seſſor ineptus Equi.
Quòd ſi me portabit Equus tam Martius; ipſam
Poſt mortem æternâ laude ſuperſtes erit.
Tunc ponam tumulum, & tumulo memorabile Car-
Præmia quæ poterunt nobiliora ſequi? (men:

AD EVNDEM MECOENATEM de exornatâ ab ipſo Nuptiarum ſuarum ſolemnitate.

ERgo, GUILELME, *tuus, quo non generoſior alter,*
Me Sponſum ad thalami gaudia vexit Equus.
Nec ſatis: *es turmâ tu me comitatus Equeſtri*
Adjunctus lateri, magne Patrone, meo.
Pòſt in Conſeſſu illuſtri, pro more recepto,
Feciſti noſtro Verba diſerta loco.
Omni operâ & ſtudio ſocialia Sacra juvare,
Et Patris eſſe loco, cura tibi una fuit.

Nec face sponsales ardente præire choreas
Cum Socio piguit te, GUILIELME, pari.
Quod Phœbus cælo est, hoc tu solemnibus actis,
DIVA mihi instituit quæ genialis, eras.
Dii tibi pro meritis referam quæ præmia tantis?
Præmia nulla mihi, Symbola grata tamen.
Contuleras quæcunq; tuo Benefacta Poëtæ,
Posteritas memori forsitan ore canet.
Vivat io Soboles tua, cui mox gaudia adornes,
Qualia adornasti nunc mihi, grata Deo.

AD EVNDEM.

Quali Vxore sit potitus.

QVæris, Mecœnas, sim quali Vxore potitus?
An me fortè tori pœniteatq; fori?
Tanta Mei tibi cura Pater GUILIELME? fatebor,
Vt mecum capias gaudia, vera tibi.
Contractus adeo me jam non pœnitet, unquam
Vt non digna queam dicere grata Deo.
Nosti, quàm longo vexet me tempore morbus,
Hoc mihi Conjugis est tota probata Fides.
Vna illi Mens est fortuna in utraq; ; sed unus
Non est ad mensam vultus, & ad thalamum.
Est gravis, est suavis, non delitiosa, procaxve:
Luxum odit, fastum ridet, honesta probat.
Pauca, sed apta, loqui gaudet: res pensat, & urget:
Cor illi in linguâ cum ratione sedet.

Non

Non ullam admittit litem, fomentave litis:
In gremio Pacem nam fovet illa suo.
Grandia contemnit, laudat Mediocria, mirè
Contenta ingenio, munere, sorte meâ.
Me blandum metuit, sed amat moderata severum,
Vxor in adfectus ingeniosa meos.
Si qua oritur menti Nubecula, discutit illa
Continuò, nutus fida Ministra mei.
Materiem dictat nostris ea sæpe Camœnis,
Et quacunq; potest me ratione juvat.
Tali, Mecœnas, me Conjuge fata bearunt,
Quæ, si perpendam singula, nata mihi est.
Delectent alios aliæ: mea vivat Amica:
Hac nec deterior sit melior ve mihi.

VITO N. SPONSO.

VIte quid ardescis? cur sic rubor ora colorat?
An tibi quòd vitam dat nova vita novam?
VITE rubes meritò, meritò ardescisq; tuendo,
Iure tibi vitam dat nova vita novam.
Quæ nova vita? nova est LUDMILLULA: ludere cum illâ
VITE tuum est: vitem sic bene vite seres.
Vitem, quæ vitam tibi proroget, ambiat orbem
Mensæ, VITE, novis vitibus, orbe novo.
Sic ludat LUDMILLA tibi: sic ludere cum illâ
Disce: Pudicitiæ sospitet author opus.

GEORGIO POLANO MVsico Oppavienſi.

NVper ubi obſcuro patriam duxiſſet in Vrbem
Rure Polanus amans ſpem, columenq; tori,
Muſicus argutè gaudens concentibus Annam,
Quá nil urbanum, nil lepidumq; magis.
Cœlo accita Venus caſto ſic ore locuta eſt:
Ecquis adhuc dubio carpitur igne Procus?
Deſine Amatorum Gens cæco percita luxu
Mi prece vel precio conciliare toros.
Non ſors, non technæ, non ſpurca calumnia, non res,
Solum in me fatum Ius habet ante Deum.

De Secundis Nuptiis MAGNIFICI V. DN. ABRAHAMI IENCWIZII, à GOLTSCHMIDEN, IN Iexau, Kurtſch, & Baumgarten, incliti Ducatus VVratisl. Capitanei: Et lectiſsimæ Matronæ ANNAE, Nobiliſs. Viri Ioan. Bapſtiſtæ Cratonis à Craftheim, in Rukers, &c. relictæ viduæ.

IDYLLION.

FLoruit Elyſio felix AMARANTHUS in agro,
Et puro patrium implevit odore ſolum.

Non

Non ita pòst visus Naturæ oblitus odorem
Exuere, & florem decutere ambrosium.
Vidit, & indoluit novus Advena: Patria flevit,
Immortale, decus, quod fuit antè, mori.
Vidit, & arrisit Cytheræa pudica, quid (inquit)
Naturæ bellum flos movet iste suæ?
Quin ego Naturæ dextrâ auxiliabor acutâ,
Vt sua vis illi constet, huicq; sua.
Sic ait, & properans Amarantho intexuit Herbam,
Plantarat manibus quam Dea gnava suis.
Res citò res tacitè gesta est: Amaranthus amore
Incaluit: rediit, qui fuit antè, vigor.
Planta novella suos Amarantho præbuit usus:
Hinc genius Patrio suavè revixit agro.
Sæpe latet virtus quasi mortua, mortua nunquam:
Exserit hæc vires nempe latendo suas.
Æmulus huic crescat fragrans Amaranthus, & astris
Inserat ambrosias fronde frequente comas.

Ακρόσιχις
NOMINIS SPONSI.

Aspectus casto Vim Amor
Alloquium cauto Spem conciliavit Amant I
Amplexusq; ipsam Rem habent

CASPARI PRÆTORIO Theologo, ducenti Filiam Theologi Elisabetham.

Magnus te Romæ, Prætori, anathemate Præsul
Percutit: in promtu est caussa, nec illa levis.
Tu sacris operam condixti rebus agendis,
Et, qui te genuit, Presbyter ipse fuit.
Et vincire tamen pateris te uxoria vincla,
Nec de plebejo sanguine Sponsa tibi est:
Filia Bertoldi, *commissas pavit abundè*
Dogmata qui Christi sana professus oves.
Sed tu parce metu: te tanto Anathemate Præsul
Absolvit mundi maximus Ipse Deus:
Is quo non major Divûm est hominumq; Sacerdos,
Qui Sponsam legit Sponsus & ipse sibi.
Tu sacris operam condixti rebus agendis:
Non est Conjugio res magè sacra pio.
Ergo tuam, Caspar, *complectere castus* Elisam:
Non fugienda Bonis sunt pia jussa Dei.
Qui nulli vetuit thalamos intrare pudicos,
Is fortunet opus, Sponse, regatq; tuum.
Sed ne succense, Præsul Romane, locuto
Vera: iram in Sponsas ejaculare tuas.

DE

DE SECVNDIS NVPTIIS CL. V. PAVLLI HESSI, Phil. & Med. Doctoris excellentiss. Illustrissimi Principis CAROLI Ducis Monsterberg. &c. Physici.

PLaude *Venus*: *Fortuna tibi pessundare dudum*
Atq; adeò voluit quem dare sæva Neci;
Rursum surgit humo, viduiq; è pulvere strati,
Iamq; potestati redditur ille tuæ.
Sera tibi instinctu superûm Sacra Paullus *adornat*
Hessus, *honorato de Genitore satus.*
In sua quem Iuvenem duxit penetralia Virtus,
Cuiq; recluſit opes Sanus Apollo ſuas.
O factum à fatis bene! nam jactura dolenda est,
Cùm generosa Arbos fructibus Orba cadit!
Hessus *amat fructus, pressumq; recolligit ævum,*
Hessus *init thalami gaudia: plaude Venus.*
Res tua nunc agitur, sed non sine Numine Divûm:
Spes bona! florebunt germina, fructus erit.
Christe Deus placidis firma successibus omen,
Et fulci Hesiacam *fronde frequente Domum.*
Mortua restituis tu vitæ, vivaq; morti:
Vota pia exaudis, Spes finis ire ratas.
Imperio sapiente regis sic omnia: per te
Sic sæpe est Mater, sæpe Noverca Dies.

DIALOGVS
Illustrium novorum Conjugum VVOLFGANGI GVILIELMI, & CATHARINAE, &c.

VVOLFG. novam Nuptam domum ducturus:

EIa age tẽpus adest, Catharina, reducere gressum,
Iamq; tui Officii est, me Catharina sequi.
Me sequere ad Patrios, sed non invita, penates:
Nil ibi displiceat quod tibi, forsan erit.

CATHARINA.

TEmpus adest equidem, quo te sequar, ô mea Vita,
Idq; scio officii, care Vir, esse mei.
Ergo sequar, quamvis est triste relinquere Matris
Complexum: Patriæ semper adhæret amor.

VVOLFGANGVS.

TRiste quidem, fateor, complexu Matris abesse:
Complexũ experta es sed, Catharina, meum.
Oscula nonne dedi tibi mille Parentis in Arce,
Nos quoties junxit nox & amica quies?

CATHARINA.

COmplexus, Vvolffgange, tuos atq; oscula novi;
Nec mihi, cepisti quod benè, sordet opus.

Haud

Haud nego; mille mihi vel basia plura dedisti;
Sum sæpe amplexu victa, Guilelme, tuo.
Vicisti, quoniam tibi magnum in corpore robur,
Maxima nec desunt viribus arma tuis.

VVOLFGANGVS.

O Catharina, *tibi quas solvam blandula grates,*
Quòd me victorem dicis amasq; tuum?
Victa quidem amplexu nostro, sed mortua non es:
Inflixi vulnus non tibi sanguineum.
Nam sunt arma mihi non sanguinolenta, sed apta,
Mollia, dura simul, plena liquore novo.
His utar porrò: modo me Catharina *sequaris:*
Tecum bella geram dulcia: suadet amor.

CATHARINA.

B*Ella geres mecum,* Vvolfgange? *quis exitus? an non*
Succumbam, & fracto corpore vulnus alam?

VVOLFGANGVS.

P*Rocumbes; sed non succumbes: exitus autem*
Hic erit, ut tumeat pòst tibi ventriculus.

CATHARINA.

Q*Vid tumor ille feret?* Vvol. *pulcrum ô* Catharina *puellum:*
Cath. *Quid faciet?* Vvol. *pariet gaudia mille tibi.*

Hunc posthac alii, si non spes læva, sequentur,
Qui dicent: Mater, da mihi lacte frui.

CATHARINA.

SVm tua: Te Vvolfgange sequar, tua bella capessam
Dulciaq; amplexu vulnera sæpe tuo.
Is fortunet iter, tibi qui me junxit, Amoris
Author, qui vitæ dirigit acta Deus.
Sum tua: te Vvolfgange diu mihi Numina servent:
Tecum dulce mihi vivere, dulce mori.

VXOR RES BONA.

ABRAHAMO SCHWALBIO,
Med. Doctori. V. CL.

REm capit ille bonam, potitur qui Conjuge suavi:
Sic dio Salomon Flamine plenus ait.
Hæc Generis Spes est, hæc Solamenq; Mariti:
Hæc est, cui tutò credere multa queas.
Hac sine nil aliud quicunq; Vir integer annis,
Ignibus expositum quàm sine fruge Solum est.
Audin' Abrame Dei vocem? maturus es ævi,
Et tibi nutrices accumulantur opes.
Vxorisq; capax satis est Domus una; quid obstat,
Quò minùs in thalamos ingrediare novos?
Cur desiderium cani suspendis in annos
Patris, Avumq; vetas protenus esse novum?
Cuncta-

Cunctaris nidos tali quid hirundine dignos
Condere? quid plures progenerare Bonos?
Desine fortunis, ætate, & spebus abuti:
A solo expetitur Fœmina casta Deo.
Hæc illi, Superûm pia quem Reverentia tangit,
Omnibus una Bonis anteferenda, datur.

IN GALLVM ET SACERdotem Iocus.

OMne Animal, postquâ Veneri sua debita solvit,
Componit lasso membra agitata sinu.
Solus ovat Gallus cantu, solusq; Sacerdos,
Officium *postquam fecit uterq; suum.*

IN VXOREM XI. Maritorum.

NUpta decem, moriens undeno victa Marito
Fœmina, Tandem obii dixit; Amica, cave.

IOAN. HARTMANNO AB ERFA, Viro genere, virtute, & eruditis literis verè nobilissimo, Illustriss. Ducis Luneburgensis, &c. Consiliario, & in arce Cell Præfecto Sponso.

ET nov⁹ est Sponsus me⁹ Erfa? fidemne meretur
Fama? imò hæc validis testibus Acta probat.
Cuja?

Cuja? & quæ? Dominæ, cui cuncta Animalia parent,
Cui virtusq; virum, flos Iuvenumq; subest.
Hæc Erfam *in socium nuper pellexit amorem*
Virginis, *ipsa illi quæ propè visa Venus.*
Nomen non memini: sed sit quodcunq; Puellæ,
Hoc scio, quòd thalamo nobiliore sata est.
Illi est Abramus *Pater alto* Bockius *ortu*
Insignis, sed cui majus ab arte decus:
Omnis quem Pietas antiqua coivit in unum;
Dignus, posteritas quem memori ore ferat.
Et tibi de tali Socero non gratulor Erfa?
O nimium Musæ dulcis opella meæ!
Ne dubita: optatâ te fatum Uxore beabit:
Nulla unquam ex Aquilâ Galbula nata fuit.
Nec te pœniteat florem sacrasse Pudoris,
O Virgo, *huic, in quo singula pulcra, Viro.*
Quàm nitet ecce tui facies heroica Sponsi!
En quàm in procero corpore forma decens!
Ast animi demum quæ munera? fertile multâ
Doctrinâ ingenium, Mens studiosa Dei.
Quid plura? in gemino formosi ô crescite Rami
Arbore: virtutem jungite, Robur inest.
O Sponsi, quantùm est hæredes gignere cælo!
Gignite, vivite, Spem vincite, amate Deum.

IN DEFORMEM ALterius Vxorem.

Nuper, Amice, mihi Conjux tua visa, Perille, est
Tâ præstans Mulier, blâda, venusta, decens:
Ut

Vt mihi tres tales si donet Iuppiter ipse,
(Triste sed à thalamo dii prohibete malum)
Sponte duas olido sim sacraturus Averno,
Tertiam ut adjungat mox, habeatq; sibi.

SPES SOBOLIS SVÆ.

Ad Nob. V. Casp. Frölich, Affinem suum suavissimum.

ALter in hoc Annus mihi mense elabitur, ex quo
Venit in amplexus Evula *cara meos.*
Ecce autem jam quisq; rogat, natumne quid inde?
Cùm nego, præcidit spem mihi quisq; bonam.
O vos degeneres animi nimiùmq; pusilli,
Conditane est uno, dicite, Roma die?
Tu verò, CASPAR, *quam spem facis, optime? dicam*
Rarum aliquid; sed cui nulla neganda fides.
Est, qui vix annos natam ter quinq; Puellam
Lustra suo adduxit post duodena toro.
Quid posthac? decies factus Pater excidit ævo
Lustris ter senis vix tamen ille satur.
Ille atq; illa SOCER, SOCRUS MEA: *digna relatu*
Res: Spes propterea non resecanda mihi.
Namq; etiam mea Stirps didicit sterilescere nunquã
Hactenus, à cultu non aliena bono.
Fœcundi Agricolæ Ruris clementia cœli
Nil negat: inde moræ sæpius usus inest.
Crebriùs exonerant imbellia corpora fœtus;
Rariùs, armavit quos magis alma Parens.

Temporis

Temporis usuram res duratura requirit:
Quod citò fit, multis id citò sæpe perit.

F. mense Novemb. An. XCIII.

AMOR QVID.

Ad Amandulam suam.

QVæris, Amor quid sit? preciosa Molestia cordis,
Ocia quod studiis pernicioſa premunt.
Est Pudor in puero, Rubor est in Virgine, & ardor
In Iuvene, est fallax in Muliere furor:
In Sene Risus Amor: quid Amandula colligis inde?
Aut malus, aut bonus est (subijcis) omnis Amor.
Ille furor, risus, vaga flamma, Molestia Cordis;
Iste bonus pudor est, ingenuusq; rubor.
Et noster rubor est, pudor est, castissima flamma est:
Vis FINEM attingam? noster amor Deus est.

FINIS LIBRI TERTII:
sive Semitæ tertiæ.

Epigrammatum

SALOMONIS FRENCELII SYLVVLÆ PRIMÆ.

SEMITA QVARTA:

FVNEREA.

VITÆ MORTISQVE CONDITIO.

VT tibi contingat Mors optima, vivere disce,
Vitaq; apud Superos optima, disce mori.
Nascentes morimur, morientes nascimur ævum
Ad melius: triste ô vivere, dulce mori!
Mors nulli metuenda pio: quia morte levatur,
Christe, tuâ in mediâ morte doloris onus.

HOROLOGIVM ARENARIUM.

NVnc me equidem vertis: sed dic mihi, pulvere lapso
Versura, an nosti, me tua sitne Manus?

Κενοτάφιον.

Κενοτάφιον.

IESV CHRISTI
Θεανθρώπου.

SI, Peregrine, tibi comes est Reverentia, gressum
Hic siste: hunc scelus est præteriisse locum.
Hæc est Cripta patens, qua totius optimus Orbis
Thesaurus jacuit Christus homo, atq; Deus,
Nos verò æterni premerent nec vincula lethi,
Mortuus hoc triduum vix requievit agro.
Nempe, sepulchrali læso nil obice, dio
In lucem rediit Numine Victor iô.
Vltima Pœna mori est, erit ultima vivere Merces:
Sic Christi tumulus te jubet esse pium.

TVMVLVS CANDORIS.

SEcula fovebant quem tot labentibus annis,
Ampliùs hæc ætas effera ferre negat.
Cui priùs hospitium tribuere palatia Regum,
Nunc jus hospitii vel casa parva negat.
In me NIGRA cohors omnis furit impete cæco,
Mansuras Exsul dum mihi quæro domos.
Nec sat: conjunctis jugulant me viribus hostes,
Cum Natis Patres, cum populisq; Duces.
Æquius exspecto nunc hoc sub Cespite seclum,
Reddet ubi Regnum Rex mihi, cœlum animam.
Quòd si quis clamabit, adhuc me vivere secum;
Mentitur: non sum Candor ego, umbra mea est.

TVMV-

TVMVLVS CVIVSCVNQVE hominis, tam Regis, quàm Opilionis.

Sperma fui fœdum: vixi domus atra lutosi
Stercoris: hoc jaceo vermibus esca Solo.

Tumulus CAROLI QVINTI IMperatoris.

Carolus hac Quintus Miles fortissimus Vrnâ
Conditur Austriacæ fida columna Domus.
Nomen erat dixisse satis: sin plura requiris;
Magnus Alexander, maximus iste fuit.

Tumulus FERDINANDI IMPERAT.

Hîc situs est, cujus virtute vel æthere major
Austriacæ laus est amplificata Domus.
Ferdnandi tumulum cernis: satis esto, Viator:
Ferdnandi *laudes non capit Orbis opus.*

Tumulus MAXIMILIANI II. IMPERAT.

Nomine Cognato, nulli pietate secundus
Cæsar huic saxo Maxmilianus inest.

Humano ingenio longè sapientia longè,
Luxit in hoc sancto quæ DVCE, major erat.

Tumulus
DIVI FRIDERICI REGIS DAniæ, Sueciæ, Norvegiæ, Vandalorum, & Gothorum, Ducis Slesvici, Stormariæ, Ditmarsiæ, Comitis in Oldenbug, & Delmanhorst, &c.

DAnia quo florens fatis felicibus usa est
Fulcro, ornamento, Principe, Rege, Patre,
Hospite Religio, Pietas, Sapientia, Candor,
Pax, Astræa, Fides, Gratia, Musa, Charis:
Exsuvias hujus capit Vrna hoc marmore structa:
Nomen non Mundi Machina tota capit.
Astî animam mœstis stipata Sororibus almam
RELIGIO ad Superas est comitata Domos.
Illicq; mansissent, nisi devinxisset amore
Has sibi defuncto Rege Parente satus.
Huc ergo ad Tumulum DIVÆ rediere, viderent
Filius ut Patris signaq; Resq; sui.
Huic ideo acclamant: DANIS FRIDERICUS in oris
NOSTER erat: FILI tu quoq; NOSTER eris.

Tumulus

Tumulus

ELISABETHÆ AVSTRIACÆ
Galliarum Reginæ.

INter tot ætas hæc Mundi Miracula
Postrema non habuit postremum FOEMINAM
ELISABETHAM, cujus ossa Marmore
RODULPHUS hoc CAESAR, Frater mœstißimus
Locanda curavit multis cum lacrimis.

Miraculum indigeto, non quòd fuerit sata
Ex stirpe, toto quá non est augustior
Mundo, NOVEM quæ Christianis Gentibus
Per secla tot Monarchas una protulit:
Non Galliarum quòd Regi fortißimo
Sit in fidem data Conjugalem. munera
Duntaxat hæc fortunæ sunt, cujus DEVS
Dux, Autor, Auctor est. sed quod præter suum
Instructa sexum tot tantisq; Dotibus
Fuit, tacere quæ præstat, quàm tangere,
Nec laude sat pro dignitate persequi.

Homo quidem fuit nata, idcirco pati
Coacta nuper est Mortis ludibria:
Divina sed in hac DIVA ferme omnia.

Splendore spreto, exsuta Purpurá Deo
Addixit hæc totam se: sancta Pauperum
Ministra: Christi Ancilla, Sponsa, Filia,

Quod seculo hoc fuit negatum Fœminis
Penè omnibus, diva hoc ELISA *habuit, Soli*
Regina nuper; sed Regina nunc Poli.
Et nominare hanc quid vetet MIRACULUM?

TUMULUS
ELECTORIS PALATINI
LUDOVICI IIII.

IPsa jacet Pietas sub magno hoc condita saxo:
Mortua si Pietas, quis modò tutus erit?
Estne ita? proh dolor est: nam, si fas vera fateri,
Hîc, nil qui potuit, quàm piùs esse, jacet.
Dic age, qui tantus Vir? Dux LODOICUS, *amavit*
Qui Pacem, populos, omniaq; ante Deum.

TUMULUS
AVGVSTI ELECTORIS
Saxonici.

NE nomen te fallat idem, non ille sepultus
Hac jacet Augustus Induperator humo;
Quo regnante Dei vitales imbibit auras
Filius in castâ virgine factus homo.
AUGUSTO tantùm par nomine, Numine major
Hîc jacet ELECTOR *Cæsaris Ausonii.*

Tumu-

Tumulus

STEPHANI BATHOREI,

Regis Poloniæ, &c.

ILle Polonorum Stephanus Rex marmore in isto
Conditur, Exemplum Principis eximii.
Quem non hostiles potuerunt sternere turmæ,
Cùm procul incultos Marte domaret agros:
Mors induta togâ vicit, sic dicere visa:
Vix mihi pòst talem Sarmatis ora dabit.
Stirps alios Reges, alios fortuna salutet:
Hunc Regem virtus legit, & obtinuit.

ALITER.

REx Stephanus Marti carus placidæq; Minervæ,
Sarmaticæ hic gentis Fama Salusq; jacet.
Ringitur invidia hoc titulo, gaudetq; sepulcro:
Sed per Eam posset vivere Rex Stephanus.

Tumulus

IOACHIMI ERNESTI,

Principis Anhaldini, &c.

AScaniæ Germen stirpis memorabile Princeps
Hac Ioachim Ernestus conditur in foveâ.
Stirps hæc continuos dedit ut Pietatis Alumnos;
Sic auxit laudes stemmatis ille sui.
Non jacet æternùm, sed floret ad horrea cœli,
Quisquis, ut hic Princeps, conditur in foveâ.

Tumulus
GEORGII DVCIS BRIGENsis & Lignicensis.

CÆsario jacet hìc regaliq; editus ortu
Candidus ingenio, moribus, ore senex,
Slesigenûm Princeps, patrioq; Georgius agro
Fidus, Ligniciæ certa Columna domus.
Musarum Antistes, Patriæ Spes, Gloria gentis:
Contegit heu tantum tam brevis urna virum!
Omnia defunctum lugent monumenta: sed ævo
Solus ovat Princeps se meliore frui.

DE EIVSDEM OBITV.

QVem cœlum terræ, quem cœlo terra sepultum
Invidet, huncne hominẽ semideumve putas?

Idyllion. Fax.

DE OBITV ILLVST. DOM. BAR. Dom. IOANNIS TRAVTHSON, supremi S. Cæs. Majestatis Consiliarii, verè Christiani Nestoris, totius Imperii Romani Antistitis fidelis, & rerum faciscentium Columnæ.

ARsit in Ausonii Lux aurea Cæsaris Aulâ,
Et toti lumen præbuit Imperio.

Exstincta

Exſtincta eſt ſerò tandem, nec deniq; ſerò,
Imò nimis ſubitò Cæſari & Imperio.
Cæſari & Imperio potuiſſet longiùs uſu
Eſſe; ſed exſtincta eſt, deficiente oleo.
Aſcendit fumus ſuper æthera: dulcior ille
Calicolis viſus Nectare, & Ambroſiâ.

Tumulus
IOANNIS RVBERI, GENEROſiſsimi in Vngaria Militis.

STA: jacet hîc, toto quo nil eſt rarius Orbe,
Miles cui Pietas maxima cura fuit.
Quem nullæ ſtravere manus, vis nulla ſubegit,
Quem Mars non domuit, livida Mors vomuit.
Non acie occubuit, non hoſtes inter & arma:
Naturæ in proprio debita ſolvit agro.
Advena, quis fuerit, quæris? pius ille Ruberus,
Gratia cui nomen religioſa dedit.
Hunc quis non novit? novit Scytha, Sarmata, Moſcus,
Perſa, Hunnus, Teuto, Thrax, Geta, Turca ferox.

Tumulus
ILL. DOM. BAR. DOM. CASP. â Mincwiz, Cæſ. Conſil, &c.

HOſpes te jubeo primùm ſalvere, deinde
Stare; quod erudiat Te quoq;, forſan erit.

Exemplum hîc pietatis habes, Virtutis & omnis:
Faustus es huc veniens, si tibi cura sequi.
Nam situs hic Caspar Mincwitius, *inclita gentis*
Fama suæ, Orator Cæsaris Ausonii.
Multa unus gessit: pacem cum Rege Suèco,
Et Dano, & Turco Cæsare composuit.
Os unum; linguas habuit sex: Gallica, Ibera,
Teutonica, Italica, Græca, Latina fuit.
Mirarisne mori tantum potuisse virum? sic
Tu morere, & tibi sic vita perennis erit.

Tumulus
SIGEFRIDI RIBISCHII, Cæs. Consiliarii.

SIgfridus *posuit lævi hoc sub marmore corpus*
Ribischius *famâ, munere, clarus Avis:*
Hunc si novisses, quisquis legis ista Viator,
Tot mirareris dona fuisse viro.
Ingenium excoluit discendi heroicus ardor;
Virtutem accendit gloria digna viro.
Iudicium mores tot formavere, quot Vrbes
Lustravit, varios cùm peragraret agros.
Naviter incubuit Musis: hinc summa voluptas
Inter delitias Bibliotheca fuit.
Cùm doctis certare viris gaudebat, & inde
Nil domus ipsius quàm Schola docta fuit.
Hinc illustre genus virtute illustriùs auxit
Prognatus verâ Nobilitate Senex.

ALIVS

ALIVS EIVSDEM.

Qui jactatis Avos, Atavos, Atavumq; colores,
Si solum Nomen Nobilitatis inest;
Cedite, vel linguas cohibete, vel optima quæ sit
Discite Nobilitas, umbraq; Nobilium?
Illa sibi nomen vel Marte vel arte paravit:
Hæc est, si quidquam est umbra, fugax species.
Illam sectantur quicunq;, probantur avitâ
Stirpe; hanc qui jactant, nil nisi inane pecus.
Illam sectatus teneris Sigefridus ab annis
Ossa sub hoc gelido marmore deposuit.
Quam modò legisti veram esse, Ribischius, Hospes,
Nobilitas heros strenuus ipsa fuit.

EIVSDEM ALIVS.

RIbischius jacet hoc Sigefridº marmore clausus,
Cæsarii nuper fama decusq; Fori.

Tumulus
ILL. DOM. BAR. DOM. GEORGII
ERASMI à LICHTENSTEIN,
Cæs. Consil, &c.

LVcidus hic lapis est, quia Lucida Gemma sub illo
Deposita est: nisi vis plura Viator, abi.
Plura rogas? tulit hanc stirps Lichtenstenia Gemmam,
Stirps verè Austriaci Lucida Gemma Soli.

Hujus grande decus jacet hîc generosus Erasmus,
Dextera cui fortis, dextera mensq; fuit.
Mars luget, quicquid rabiosa Calumnia dicat;
Tantum tam subitò succubuisse virum.

ALIVS EIVSDEM.

Hac jacet egregius, nec avitis degener ausis
Lux Lichtensteniæ *Gentis* Erasm^o *humo:*
Cui calor ingenuus sub pectore, dextera bello
Impigra, Virtutis mens studiosa fuit.
Quàm bene conveniunt pulcris bona nomina rebus!
Lucidus ille Lapis, *lucidus iste Lapis.*

Tumulus
DOROTHEÆ CVRZBACHIÆ,
Ill. Dom. Baronis, Dom. ADAMI SLAVATAE Cæs. Consil. Vxoris.

Stirpe sata è veteri, quæ luce est clarior omni,
Hoc sita Dorothea *est* Curzbachiana *solo:*
In cujus pietas stabilem sibi pectore sedem
Fixerat, ore venus candida, Suada labris.
Slavata *nempe fuit quâ Conjuge dignus* Adamus;
Illaq; huic tantùm nubere digna viro:
Fœminei Lumen cœtus, Regina Dearum,
Et nunc siderii Lux Theodora chori.

Tumu-

Tumulus

ILL. DOM. BAR. DOM. GVILIELmi ab Oppersdorff, &c. Cæs. Consil. & supremi Mineralium in Regno Boëmiæ Præfecti.

Hic Cripta est; sub quâ jacet Oppersdorffius
Guilelmus *optimus Senex.* (*heros*
Cæsaribus quatuor fidus fuit: hoc satis: ergo
Nunc mens triumphat æthere.

ALIVS EIVSDEM.

Cæsaribus qui se quatuor, tam tempore belli,
Quàm pacis, totum dedidit, atq; Suos:
Hac Guilielmus *humo jacet* Oppersdorfi⁹ *Heros,*
Lux Generis, Populi Gloria, Cura Ducum.
Erubuit decori esse favens cui Cæsaris Aula;
Sed gavisa magis quem Decus esse suum.
Mors cum Marte serit super hujus funere litem:
Mors ait esse suum, Mars superesse jubet.
Subrisit Virtus, posuitq; hæc Marmore verba:
Vester erit nunquam, cui tumulum invideo.

ALIVS EIVSDEM.

GVilelmus *jacet hîc Pater* Oppersdorfius,
ævi,
Curarum, Mundi, stulticiæq; satur.
Famam inculpatam à tergo, Natumq; *reliquit:*
Sic gemino duplici vivit in Orbe modo.

DE

DE EIVSDEM OBITV.

O Miserum, hoc misero qui vitam ducere seclo
Cogitur, in quo sunt omnia plena malis!
Ergo ubi Guilelmᵒ Pater Opperſdorffiᵒ ævo ex-
-cesserat, Angelici sic cecinere chori:
Fortunate Senex nostram pete tutiùs aulam:
Hic tibi jam pridem est parta, Guilelme, Quies.

De Obitu ILL. COMITIS RICHARDI ab Hardeck, FERDINANDI Filii, summæ Indolis Adolescentuli.

ET te, magne Puer, donis cœlestibus, atra
Mors ante tempus abstulit?
Et Spem præripuit Generi? sed quid loquor? haud te
Mors ante tempus abstulit.
Imò migrasti Duce tutus in atria cœli
Richarde in ipso tempore:
Tempore, quo Pietas jam pridem eviluit Orbi
Senilis impurissimo:
Quo nulla ætatum ratio, quo gloria nulla
Puerilis Innocentiæ:
Artis quo nullus, Martis quo nullus in Orbe
Respectus est: Latrunculi
Vinus major quo gratia (turpe!) decem quàm
Fortissimorum Militum.

Qualis

Qualis erat Genitor tuus, Austria novit, & Orbis,
Si quidquam in Orbe gratiæ.
Is nuper terris Mavortia signa gerebat,
Nunc fert tropæa in æthere:
Quò te Mors, Puer, ô Puer edite stemmate celso,
In tempore ipso transtulit:
Tempore, quo Regum præfixa Calumnia tectis,
Depressat mussat Veritas:
Quo scelus in precio, Virtus in sorde; Boni quo
Mali, Maliq; sunt Boni.

Tum. Infantuli.

IOANNIS GEORGII, GENEROSI DOM. D. ADAMI SLAVATAE Cæs. Consiliarii, Filioli.

COndor IÖANNES hac ecce GEORGIUS Vrná,
Quod vix aspexi, lumine cassus homo.
Me MANSFELDIACAE Comitissa Propaginis alvo
Heroina suo culta Sibylla tulit.
Slavata me genuit Virtutis ADAMVS Asylum,
Cui cinxit Mensam prole frequente Deus.
Inspexi Mundum, risiq;, statimq; reliqui:
Nunc me alia in cœlo sancta SIBYLLA fovet.

Tumulus
MARGARETHÆ à SCHÖNBERG, Ill. Bar. Dn. Christoph. à Schleiniz, Cæs. Consiliarii, Vxoris.

SHLA-

SCLEINICII solamen, amor, Spes, Gemma, Voluptas
Christophori jacet hac MARGARIS UXor humo.
Fœmina, quam Pietas est admirata, Maritus
Ceu Matrem, coluit funus ad usq; suam.
Produxit Gemmã Stirps hanc Schönbergia: Gemma
Particulam hoc saxum, Totum habet ipse Deus.

Idyllion
DE OBITV INFANTVLI SEBAstiani, Ill. Dom. Iacobi Curtii Cæs. Consiliarii intimi Filioli.

CONserere egregiis decrevit Floribus hortum
Gloria Cæsarii CURTIUS alta throni.
Iamq; virescentes quatuor terrà ubere plantas
Eduxit: primæ tres viguere Solo.
Impatiens nimii sed quarta caloris, & auræ
Occuluit teneras Planta repente comas.
Nam quamvis vix nata fuit, tamen acre doloris
Tormentum subitò sensit, & occubuit.
Abdiderat vix molle caput felicibus umbris,
Cùm talis circum gramina clamor iit:
Plantula non perit ista, magis sibi quærit amœnum,
Quo fructu surgat fertiliore, locum.
Tempus erit, tanget quando illa cacumine cœlum:
Si quis avet nomen scire, SEBASTUS erat.

EIVSDEM

EIVSDEM TVMVLVS.

Hîc Infans situs est SEBASTIANUS,
Cui IACOBUS erat Pater, disertus
Ille CURTIUS, Aulici decoris
Splendor, Pierii jubarq; montis.
Qui transis, violes cave sepulcrum:
Nam sanctus Lapis, Innocentiam quòd
Sanctam contegit hîc, Dei Ministram,
Custodemq; Chori piam tenelli.
O Infantia sola sancta terris!

ALITER.

QVi jacet hîc, Infans tantùm est: docet Vrnula: tantùm?
Imò hic est Infans Angelus ante Deum.

ALITER.

VIxit, nec vixit, quem saxum contegit istud:
Lumine nam cecidit, vix quod adeptus erat.
Sic tamen, ut vitam cum duxerit, & minùs illam
Duxerit, æternam nunc colat Arce Dei.
Subter humum parvũ est comitata Infantia corpus;
Ast animam expertem Criminis astra super.
IACOBUS genuit corpus breve CURTIUS: ipse
Illam animam accepit, quam dedit antè, Deus.

ALITER.

QVi nondum, quid sit crimẽ, quid culpa, quid Error,
Noverat; hac parvus conditor Æde Puer.

Curtius

Curtius hunc genuit, peperit lectissima Mater;
Nunc cœlo Pater est, & nova Mater Ei.
Qui nescit, quid sit crimen, quid culpa, quid error,
Et moritur, non est mortuus ante Deum.

Tumulus
FLORIANI GRISBECCII à GRISbach, Trium Impp. Consiliarii, &c.

HEus tu quò properas Viator? an te
Non spectare juvat Decus? quod? aureûm.
Hoc hoc ingrediare tu Sacellum.
En GRISBECCIUS *ille* FLORIANUS
Sub saxo jacet hoc, Vir ille præstans.
Siles? miror ego: quid? istud audi.
Quem ornavit Pietas tot una donis,
Vt Regumq;, Ducumq;, Cæsarumq;
Trium continuò Senator esset
Prudens, impavidus, fidemq; præstans
In rebus variè periculosis,
Carus propterea magis magisq;
Mundi Semideis tribus Monarchis,
Cunctis præterea Bonis amatus,
Iucundus, facilis, nocensq; nulli,
Auctus muneribus labore partis;
Viginti quatuorq; Liberorum
Parens, Conjugis unius Maritus, casta

Castæ Conjugis & beatioris:
Hujus miror ego tibi, Viator,
Ignotum tamen esse posse nomen,
Quod circum pia gestat undiquaq;
Fama, quod Lapides loquuntur, & quot
Iactant splendida tecta tot, Boëmas
Ornavit quibus eleganter oras
VIR Grisbeccius ille Florianus.
Iam si doctior es Viator, exi.

ALIVS EIVSDEM.

AVstriacæ fidus Genti (ô memorabile nomen!)
FIDVS ad extremos hîc jacet ecce dies.
Ecquis tam rarum exemplum? Grisbeccius ille
Cæsarum Amor, Pectus, delitiumq; trium.

ALIVS.

QVis locus hîc? tumulus: tumulo quænã incubat ulnis
Fulta Puella? Fides sancta: quid illa gemit?
Audin'? ô egregium, mihi quod tam mite dedisti
Hospitium an cineres, Corpus, ad usq; sequar?
Quidni? sed, cœlum tibi quæ tu sæpe fuisti,
Sancta Anima, ætheriis læta fruare Bonis.
Iure hæres Superûm, jure alti Civis Olympi es,
Iure comes sanctis associata choris.
Mî satis est, quanto Grisbeccius arserit igni
Me Meus, esse Orbi Cæsaribusq; palàm.

ALIVS EIVSDEM.

NVper ut è vivis cano aspectabilis ore
Grisbeccius decesserat;
Suave à Flore gerens nomen, Flos Ipse Suorum,
Flos Florianus Patriæ;
Ad Musas conversa novem sacra Cæsaris Aula
Abite (dixit) protenus:
Hospitium vobis aliud conquirite; vestrum
Mors abstulit Nutricium,
Cui Musæ: nos ista quidem jactura dolore
Tanti Viri penè enecat.
Attamen ad Tumulum, ad thalamum velut antè, se-
Solamur & nos talibus: (demus,
Sancte quiesce Senex, Vivus nos anteà fovebas,
Nunc te fovemus mortuum.

ALIVS.

HIc GRISBECCIUS *ecce Florianus*
Post casus varios, vices, labores
Quiescit. quid homo stupore palles
Lecto nomine? furva terra terram
Premit, nomen & hic nihilq; plus est.
Nuper mente Senex gerebat igneâ
Cœlum; nunc capitur sed ille cœlo:
Illic quære Virum, Viamq; disce.

ALIVS.

ALIVS.

Qvænam hîc Majestas spirat? faciesne Dearum?
Prò hîc virtutũ quid Chorus, & Charitum?
Quis questus? Meus est, meus est, (ferit æthera cla-
Cõditus hoc tumulo qui jacet, hei meus est. (mor)
Sic Charites, sic Religio, constantia, candor,
Iustitia, integritas, sic operosa fides.
Cujus at hic Tumulus? Grisbeccius hîc jacet, ingens
Cæsarii Lumen Lausq; vetusta fori.
Hei mihi, quàm paucos tumulũ comitantur ad ipsum
Virtutum, Charitum, Pieridumq; chori!

ALIVS.

In vultu gravitas, Lepor in Sermone, laborq;
In rebus, pietas in prece, corde fides:
Cui tot dona, rogas, uni concessa, quis ille?
Candidus ingenio, candidus ore Senex.
Hic jacet ille? quis ille tamen? Grisbeccius: annè
Debuit ille mori? debuit, & voluit.
Cur voluit? Mortalis erat: cur debuit autem?
Cæsaribus carus carior ille Deo.

ALIVS.

Ad Imitationem I. Pontani.

Vivus mihi struxi, quem cernis, lectulum,
In quo jacerem mortuus.

Me mortuum noli quæso lacessere,
Vivens qui læsi neminem,
Nam Florianus ille sum Grisbeccius,
Quem tres amarunt Cæsares,
Viri probi suspexerunt, Musæ Hospitem
Exosculatæ sunt suum.
Nunc, Hospes, ecquis sim, vel quis fuerim, tenes:
Veruntamen qui tu sies,
Haud cognitum mihi: sed ut te ipsum probè
Noscas, rogo: perge, & vale.

Tumulus
ELISABETHÆ SCHILLINGIÆ,

Regali Educatione, & antiquitate Generis ornatissimæ Matronæ, Nob. & opt. Viri Joannis Georgii Purgstaleri de Purgstal Vxoris, venustissimæq; Sobolis Matris.

Hic Purgstaleri jacet Vxor honesta Georgi,
Stemmate Majorum nobiliore sata.
Quî saxum hoc caperet Virtutes illius omnes,
Claudi cum nequeant mille voluminibus?
Exstinctam luget Pietas, lugetq; Maritus,
Pectore dilexit quem magis illa suo.
Non procul hinc astat madidos laniata capillos
RELIGIO *& tales integrat ore sonos:* si

Si similes hujus multas mihi terra dedisset,
Complerem cœli protenus omne latus.
Cum re illi nomen: viva Elisabetha vocata est:
Mortua nunc verè est Illa Dei Requies.

Tumulus
VVENCESL. GRISBECCII
à Grisbach Floriani Filii, natu
maximi, Viri pruden-
tissimi.

IN Gremio Patris, Matris, Sobolisq; Sororumq;
Et Fratrum hac tegitur Vvencenlaus humo.
Florus ei Genitor Grisbeccius, inclitus Heros,
Prognata Helzelidum stirpe ROsina Parens.
Nil vivo virtus, nil & fortuna negavit;
Nil nunc defuncto funere terra negat.
Nil illi cœlum supremâ luce negabit:
Nam vivo cœli maxima cura fuit.
Multum est, in Gremio tumulari posse Suorum;
Plùs erit his Sociis pòst habitare Polum.

Tumulus
MAGNIFICI VIRI IOANNIS
TONNERI, S. Cæs. Majest.
Consil. Prima-
rii.

ET tu prætereas saxum hoc illustre, Viator,
Sub quo illustre decus: quale age? Cæsarium.

Nam jacet hìc, cujus probitas, doctrina, fides q;
Cæsaribus fuerant nota, probata tribus.
Ecquis? Iöannes *parto* Tonnerus *honore*
Major, Apollinei gloria summa Chori.
Torve negas Livor? Ferdnand⁹, Maxmilianus,
Et pro centuplici teste Rodulphus *erit.*
Nam comes Iberias fuit huic adjunctus in oras,
Et Fratri Ernesto: *nonne perenne decus?*
Pòst quoq; sustinuit Legati nobile munus
Coram Principibus Teutonis Ora tuis.
Lustra decem cœlebs, & sex superavit, ut Orbi
Nomen, Olympo animam liquit, & ossa Solo.

Tumulus in Poloniâ

SIGISMVNDO A SENIZ, Militi generosissimo, qui in acie fortissimè dimicans hostibus aliquot hastâ, ense, globisq; priùs interemtis, cecidit, à Dom. Barone GVILIELMO ab OPPERSDORF conditus.

TEutonis hic Tumulus, tune hoc miraberis, Hospes;
Ius Fati an nescis in thalamum, & tumulum?
Senicius *Miles jacet hac* Sigemundus *in Æde,*
Clarus Avis, ingens pectore, Marte potens.
Austriacâ pro Gente feros delapsus in hostes,
Fortiter in Patriis finibus occubuit.

Hìc

Hîc Animam tandem generosam halavit in auras,
Liquit & huic multo vulnere corpus humo.
Conditur hoc igitur Dextra illa illa inclita saxo,
Quæ stravit multos Ense globoq; Viros.
Mars sedet hîc (audi) repetitq; subinde querelam:
Hei quantum eripuit Mors mihi dira Decus!

Tumulus
NICOLAI RHEDINGERI
à Strisa, Inclytæ Reipub. Vratisl. Præsidis.

Conditur Aonidum Patronus, & Anchora sacra
Hoc Rhedingerus *marmore* Nicolaus:
Grande sui Generis Columen, præsesq; Senatus:
Quod Sol est Cœlis, hoc Patriæ ille fuit.

Tumulus
MATRONÆ INTEGERRIMÆ,
Veneficii accusatæ, sed in medio mendacissimorum Inimicorum triumphantis.

Quæ Christum à teneris constanter amaverat annis,
Virtute antiquâ Fœmina, plena Fide:
Cui cura una fuit, Virtuti incumbere Prolem,
Præ quâ se Pietas noverat ipsa minùs:

Proclamata tamen toti hæc Triveneſica Mundo
A malè conſutis fraude doloq́; fuit.
Pòſt longas lites ipſam inſuperabile Verum
Aſſeruit puram labe, jubente Deo.
Polluit at falſas Infamia publica mentes,
Et vindicta malas dilapidavit opes.
Tandem mille licet curis confecta Senectam
Fœmina ſupremam Religioſa ſuam
Tanto ardore precum clauſit, pietateq́; tantâ,
Pectus in humanum quanta venire poteſt.
Ejus honorato jacet hoc ſub ceſpite corpus,
In quo non fuerat mica vel una doli.
Spiritus exſpectat cupidus cœleſte Tribunal,
Iudicet ut, quæ ſunt diſcutienda, Deus.

Tumulus
SIGISMVNDI PVCHERI
à Pucha, Patricii Vratisl.

TEr Lapis hic felix! Sigemundi *nam tegit oſſa*
Pucheri, *quo nil* Bresla *tulit melius.*
Parcite Patricii: Pucheros *Curia tales*
Det multos: veſter non morietur honos.
Qui neſcit, fuerit quondam quæ candida virtus,
Debuit hunc vivum noſſe, & amare Virum.

Tumulus
IOAN. MORENBERGII, PA-
tricii, Senatoris & Scholar-
chæ Vratisl.

Dormit

DOrmit Iöannes *hac qui* Mornbergius *Vrnâ*,
Præfuit ille Scholis, præfuit ille foro.
Vix credas, quantæ huic fuerit Respublica curæ,
Integritas Morum, Religionis honos.
Si quis in Aonides fuit unquam candidus; hic est;
Ah est quid prodest dicere? nempe fuit.

Tumulus Dialogicus
ANNÆ SVMMÆ VIRTVTIS MATRONÆ piè defunctæ, & IOANNIS VVOLFGANGI FREIMONII, Cæs. Consil. intimi superstitis, Conjugum.

MARITVS.

ANne *jaces avulsa meis complexibus* Anna?
Hei pro te aspiciam flebile Sole Solum!
Nunquid eras nostris Sol ædibus: at mihi solum
Solem hunc cur soli surripit acre Solum?

VXOR.

ECquid *ais, mi Vir, mea Vita in morte, meum Cor,*
O VVolfgange *animæ fax, nitor, aura meæ?*
Desine me lacrimis onerare, necare jacentem;
Nam mea si mœres funera, bis morior.

MARITVS.

ANna *amor ô noster, solamen ô* Anna *laborum,*
Malo mori, quàm tu bis moriare mihi.

Cur tamen ô lacrimas sistam? quæ pulcrior ætas
Te servare mihi debuit, eripuit.

VXOR.

AEtas hæc metas habet ô Vvolfgange, *anime ô mi:*
Pulcra fui; sed sic anne beata fui?
Vita mihi superest, superest tibi funeris expers:
Quid gemis? amplectar te meliore toro.

MARITVS.

ANnula sic igitur fatis placet? Annula salve,
Salve iterum (ô lacrimas!) Annula *cara vale.*
Quid lacrimas? ô lætitiam! quia vita sequetur,
Quæ mihi te rursus junget; ô Anna *vale.*

Tumulus
PERFIDÆ VXORIS G. R.

OCcidit Invidiæ stimulis confossa trisulcis
Fœmina, quam serò contegit iste lapis,
Illa verecundi Bonitate malè usa Mariti
Plenum odiis gessit cor, faciemq; minis.
Hæredem excluſit Socium moritura Iugalem,
Atq; aliis nullo jure dicavit opes:
Quas tamen ingenuus Vir honestis auxerat antè
Artibus hei nimiùm credulus, atq; bonus.

Perfida

Perfida vix animam moriens efflaverat Vxor,
Cùm Manes circum Busta dedere sonos:
Sic vobis miseri non fertis aratra Iuvenci:
Sic vos non vobis mella paratis Apes.

Tumulus
HELENÆ FILIOLÆ, NOBILISsimi Viri VVENZESLAI SCHELIHAE à RZVCHOW, Ducatuum Oppolien. & Ratiborien. Cancellarii.

INfans hîc jaceo, peperit quam Nobilis Anna,
Scheliha *me genuit, mors cita surripuit.*
O quantum, vixisse parum! est Helenæ *mihi dulcis*
Vita super: Morti vivite vos alii.

ALITER.

Hîc sum sita Innocentia
Expers mali Puellula,
Helena *orta stirpe nobili:*
Vvenceslaus *me* Scheliha
Charus Bonis, charus Deo
Genuit, piissima edidit
Anna, *Innocentiæ tamen*
Nomenq; & omen consecro
Parentibus cœlestibus.

VEL SIC.

Vixi, nec vixi: sum mortua, mortua nec sum,
Nescio quid mundo vivere, quidve mori?

Innocuus

Innocuus sum certè Infans, sum nescia Labis:
Sed scio, quid Christo vivere, quidve mori?
Hujus ego ad vocem tumulū hunc rediviva relinquā,
O Genitrix Anna, *ô* Vvencesilaë *Pater.*
Felix, consequitur talis quem terminus ævi,
Nesciat ut, quid sit vivere, quidve mori.

ALITER.

ANna *mea ô Genitrix, Pater ô mi* Scheliha, *fletu*
Rigatis hunc cur lectulum.
Pace fruor, quid vos Helenæ *optaretis in umbrâ*
Suävius vestræ rogo?
Vestra Caro adscita est Superis, vesterq; triumphat
Sanguis polo: quid sanctius?

Tumulus
CAMILLI ZANOTTI ITALI,
Musici Chori Cæsarii Vice-magistri.

QVis *circa hoc saxum chorus, & quod flebile murmur?*
Hic Musæ & Charites fletibus ora rigant.
Cur? lugent rapti fata immatura Camilli,
Ingenii cujus Musica crevit ope.
Artificum rapuit mentes modulamine, quin &
Cæsariâ dignum condidit aure melos.
Audivere chori Superûm, & voluere Camillum
Esse suum: idcirco concidit ante diem.

Tumu-

Tumulus

VALENTINI FRIDLANDII Trocedorfii, de Iuventute Scholasticâ piè præclareq; meriti.

EN lapis iste sacer, sub quo TROCEDORFIUS ævi
Perfunctus fatis, notus ad astra, jacet.
Si quisquã, hic verè est; ὃς εἶπεν βήσιμα πᾶσι,
Natus ad Aoniæ sceptra gerenda Scholæ.
Mors ipsa, ut vidit tot ineptos orbe Magistros,
Pœnitet hunc, inquit, me rapuisse Senem.

Tumulus

EOBANI HESSI POETÆ CL.

ANgulus hic templi ne prætereatur, Amice:
Non est obscurũ, quod latet, omne Bonum.
Ille sub hoc Vates EOBANUS cespite olenti,
Dignus honore omni, nullo in honore jacet.
Is quia pauper erat, tumulum ut pro laude locaret,
Nemo ita dives erat, nemo ita gratus erat.

Tumulus

IOANNIS STIGELII V.CL.

HÎc facilis, purus, doctusq;, gravisq; Poëta
STIGELIUS tumulum gaudet habere suum.
Æterno cujus Germania carmine facta est
Clarior, huic quantum Vatem obiisse putas?

Tumulus

Tumulus
GEORGII SABINI.

DVlce Poëtarum Decus hac jacet æde SABINUS,
Nervoso mollis carmine, req; gravis. (est,
Quem Virtus Socero dignata MELANCHTONE magno
Hunc eadem exstinctum Phœbus & ipse negat.

Tumulus
PETRI LOTICHII.

INsigni Invidiâ premitur Lapis iste: Poëtam
Teutoniæ insignem nam tegit ante diem.
Invidet hunc tumulo Flos & decus omne Iuventæ,
Invidet hunc rigidæ divus Apollo Neci.
Cui plures in luce moras si fata dedissent;
LOTICHIO melior nemo Poëta foret.

Tumulus
IOANNIS SAMBVCI
Cæs. Historici.

HIc jacet Orator, Vates, Sophiæq; peritus,
Maximus & divi Cæsaris Historicus.
Quem si perpetuo SAMBUCUM haud consecrat ævo
Historia, haud ejus digna labore fuit.

Tumulus

Tumulus

THOMÆ ERASTI MED. CL.

Hic Thomæ Medici corpus putrescit ERASTI,
Quo super obstupuit Phœbus Apollo diu.
Ah desiderio quot nunc tanguntur ERASTI:
Sed moritur, medicam qui dat, & orat opem.

Tumulus

HIERONYMI VVOLFII AVGVstani, Philosophi excellentissimi.

Wolfius hic situs est præstans HIERONYMUS *arte,*
Quem qui non novit, legit is hercle parum.
Centum huic si formæ dotes Natura negavit,
Ingenium contra munera mille dedit.

Tumulus

IOAN. BAPTISTÆ MOIBAni Med. Physici Augustani, Avunculi sui.

Moibanus Pater Ambrosius, Patriæ decº ingēs,
Anna mihi genitrix & Bonikinna fuit.
Bresla mihi cunas, doctrinam Gallia, eandem
Italia, Ingenium Pallas amica dedit.
Philosophū studium, Ars Medicum; Natura Poëtam
Fecit, Pictorem me simul artificem.

Vxorem

Vxorem & Sobolem dedit Vrbs Augusta, penates
Auxit, & illa suo me sepelivit agro.
Invito me fama volat: BAPTISTA IOANNES
Fratribus Exemplum nobile quinq; fuit.

De hoc plura vide in Oratione IOANNIS CRATONIS Trium Impp. Archiatri de vita Moibani huius, & in Epistola præfixa Emblematibus Alciati.

Tumulus
MATTHÆI VVESENBECII I.C. CL.

MAtthæus situs est hîc VVESENBECIUS, omnis
Miraclum Italiæ, Gloria Teutoniæ.
Iurisconsultus nulli hac ætate secundus
Ingenio, eloquio, sedulitate piâ.
Quem mordet laus tanta Viri, sit doctior hoc jam
Exstincto, vivum vincere quem nequiit.

Tumulus
IACOBI OETHÆI MEDIci doctissimi.

OEtheus medicâ clarissimus arte Iacobus
Cælo animam sacrans hac requiescit humo.
Si Candor, Pietas, Doctrina, Modestia mortem
Oppeterent, omnes hac tegerentur humo.

Tumulus

Tumulus

PETRI MONAVII MED.
Cæsarii.

IN quem doctrinæ Oceanus confluxerat omnis,
Esset ut ex merito Cæsaris Archiater:
Hîc situs est Petrus Monavius, integer ævi,
Vir solidè doctus, vir minimèq; malus.
Mors ipsum invidit terris, pia fama sed inter
Lumina Teutoniæ jussit habere locum.

Tumulus

THEODORI ZVVINGERI
Med. & Philos. celeberrimi.

ZWingeri corpus tantùm hæc tegit Vrna, sed Or-
Totus habet Famâ, Spiritus astra colit. (bis
Vir fuerit, quantus, Vitæ immortale Theatrum,
Quod plusquam humanâ condidit arte, docet.

Tumulus

DES. ERASMI ROTERODAMI.

REfloreſcentis Linguæ hac ætate Latinæ (mo.
Princeps, hac recubat magnus ERASMUS hu-
Ore biceps hujus latitabat aculeus, at mors
Illum, nil metuens, risit & eripuit.

Tumulus

IOACHIMI CAMERARII. V. CL.

HÆc Camera est, quâ post Camerarius ægra quiescit
Fata, Vir eloquio magnus, ut ingenio.
Omnis defunctum luget Schola: sola rapaci
Græcorum gaudet funere Barbaries.

Tumulus

ADAMI SIBERI.

CVjus nota fides, Candor, doctrina, Poësis
Culta, nimis subitâ morte SIBERUS obit.
Lugent cana fides, candor, doctrina, Poësis,
Questibus & miseris hunc feriunt tumulum.

De obitu

PETRI CODICILLI ACAdemiæ Pragensis Rectoris, Mathematici.

QVi cœlum radio describserat antè tenello,
Astra huic sunt tales edere visa sonos:
Sat terris Patriæq; datum: mihi debita pars es
Petre; veni nostro dignior hospitio.

Tumulus

MELCHIORIS GERLACHII Senioris.

HIc MELIOR meliore fruens Gerlachius ævo Parte
Restituit Matri terrea membra suæ.

Parca extra noxam est: nam templa Scholasq; docentem
Longius affligi noluit, abripuit.

Tumulus

ANDREÆ ISINGII
Theologi.

Hic jacet Andreas pollens Isingius ore,
Ingenio, castis moribus, arte sacrâ.
Quid docuit? Christum: qua Religione? vetustâ:
Quænam Ea? quæ solo nititur Ore Dei.
Quos docuit? Varios: quibus at successibus? Orcus
Ringitur, os torquet Mundus, Olympus ovat.

Tumulus

M. PETRI VINCENTII SCHOlarum VVratisl. Rectoris, Viri doctissimi.

Hic jacet Eloquio Petrus Vincentius ingens,
Quo super Aonides obstupuere Deæ.

Tumulus

M. ANDREÆ VVINCLERI DE Scholâ VVratisl. bene meriti.

Nil mirum, paries hic si squaleret opaco
Pulvere: nam jacet hic pulverulentus homo.
Tædia sustinuit qui pulverulenta Scholarum,
Posse quod est mirum sustinuisse Senum.

Andream quis non VVINCLERUM novit? ubi sed
Gratia? per cœlos est comitata Patrem.

Tumulus

M. BONAVENTVRÆ ROSLERI
Scholæ VVratisl. Collegæ.

Hic Bonaventuræ Rosleri membra quiescunt,
Quem sibi surreptum Callographia gemit.
Litterulas formavit & ingenia arte decorâ,
Hinc clarus duplici nomine vivit adhuc.

Tumulus

IOAN. FERSII, EIVSDEM
Scholæ Collegæ.

FERSIUS *hic jaceo* IANUS *post longa Scholarum*
Tædia, cui cunas Pannonis Ora dedit.
Formanti mores Puerorum & pectora dictis
Bresla *mihi thalamum,* Bresla *dedit tumulum!*

Tumulus

LVCÆ FRENCELII
Senis octogenarii,
Avi sui,

INter *Eos, qui Sacra Dei veneranda colebant*
Ore, fide, cantu, moribus, unus eram.
Viribus

Viribus exhaustum cum Conjuge Filius Annâ
Me Salomon *fovit pro pietate suâ.*
Expleram sex lustra decemq́, ut Filius idem
Funeris extremum præstitit officium.
Nunc his sub terræ Lucas Frencelius *umbris,*
Conjuge cum charâ & Nepte, quiete fruor.

Tumulus

IACOBI SCHORESII,

Nisseni Medici.

HAc sub Iacobus *situs est* Schoresius *Vrnâ:*
Quis fuerit, rogitas? Vir, Medicusq́, bonus.
Propterea hîc astant virtus antiqua fidesq́,
Et querulo complent murmure utrumq́ latus.
Nulla adeò contra fatum Medicamina, Iuris
Mors etiam ut Medicos atra sui faciat.

VXOR AD DEFVNCTVM.

HÆc Annæ *sunt dona tuæ suprema,* Iacobe:
Mox ego te fato non renuente sequar.
Vna fuit nobis Mens hîc, torus unus, & Vsus:
Vna igitur junget nos Domus Vrbe Dei.

Tumulus

MATHIÆ PRÆTORII

Theologi.

COnditur hoc tumulo, fuerat qui lustra per octo
Præco salutiferi Dogmatis, Osq́ Dei.

Exsul in extremo Mathias Prætorius *ævo,*
Auditor quondam, dive Philippe, *tuus.*
Exsilio tandem exsiluit, Patriamq; petivit:
Tam dulce est lucrum Mors, & amœna quies!

Tumulus
MATHIÆ FLACCII ILLYRICI.

ILle Hircus vastans Christi vineta sub Vrnæ
Hoc jacet Illyricus pondere pondus iners.
Ne prope siste gradum: tumido nam corpore Flacci
Quicquid erat, quicquid pectore, virus erat.

Tumulus
IACOBI FVRERI PATRICII
Norimbergici, Constantinopoli
mortui, ibidemque
sepulti.

QVin, Germane, parum subsistis: conditus hoc est
Marmore patricio sanguine Teuto satus.
Nomen Iacobo *fuit illi vtrumq;* Furero,
Eximiâ insignis conditione Pater.
Hujus si viridi potuissent fata Iuventæ
Parcere, si vissent & superesse Virum;
Norimberga *Decus magnũ & memorabile posset*
Iactare, & laudes amplificare suas.
Namq; potest homini si quid contingere magnum,
Hujus ab ingenio promicuisse, palàm est.

Diver-

Diversas Gentes cupido & loca multa videndi
Hunc tumulum exstincto Turcia *peste dedit.*

Tumulus
VINCENTII NEVGEbauer Nisseni.

VMbras qui mundi sprevit Vincentius, *umbrâ*
Hac sub ovat Victor Mortis, & Exsilii.
Teutonicum cognomen ei Neugbauer *:id omen;*
Namq; novam intravit post sua fata Domum.
Lux illi Christus fuit, & Dux unicus, ivit
Hoc Duce in ætherias, luce micante, Domos.
Sic umbras sprevisse juvat, jacuisse sub umbrâ,
Perpetuò ut possis luce domoq; frui.

Tumulus
BALTHASARIS VVERIschii, Civis Nisseni, & Annae Schvzin, Conjugum.

HIc tumulus thalamus: jacet hîc cum Conjuge Conjux,
Non secus, antè duo quàm jacuere toro.
Vverischius pietatis amans, atq; integer ævi
Balthasar, Anna suo Schuzia *juncta viro.*
Angulus ô sanctus, quo par tam suave quievit:
Omne Solum est homini dulce Cubile pio.

Idyllion

IN VIOLENTAM MORTEM Erhardi Braunii Lipsensis, gladio confosi.

VErnabat nuper viridi flos natus in horto,
Spondebatq́ novum non sine fruge decus.
Ast illum patriâ tellure repente nocenti
Eruit hei ferro non bene fida manus.
Concidit infaustâ flos cæde venustus, & omnem
Eripuit generi spemq́ decusq́ suo.
Concidit hei nimiùm violentâ falce recisus:
Ejus pallidulas hæc tegit urna Comas.
O manus infelix, te tolle sub æthera, & ipsum
Pro tanto veniam crimine posce Deum.
Namq́ gravis semper pœnam vindicta sequuta est:
Aspera sed possunt fata levare preces.
At tu Flos radice vires, tandemq́ resurges
Siderio, æternâ non sine fruge, Solo.

Tumulus

NOBILISS. MILITIS FRIDERICI RANZOVII, clarissimi HENRICI Filii, &c.

ILlius Henrici, illius Ranzovii,
Cujus vetus Nomen, cujus celebritas
Famæ ultimos terrarum invisit Incolas
Virtute, Phœbo, Fortunaq́ regiis

Ducibus,

Ducibus, loco sepultus est hoc Filius
Fridricus; hostis haud peremtus nobili
Verùm manu fœdâ Latrocinantium,
Non in fugâ, sed in fugandis hostibus,
Fortissimi Regis Miles fortissimus.
Luget Pater Nati casum: sed Gallia
Honore se lætatur auctam maximo,
Tumulum ut daret Ranzoviano Sanguini.

Tumulus
MATHIÆ BRAVNII
Musici.

MUsicus hîc situs est Mathias Braunius, artis
Dulcisonæ & puræ Religionis amans:
Hoc breve cui statuit victuri pignus amoris
Nominis Ejusdem Filius, & studii.
Felix, qui castam, ceu casta est Musica, vitam
Egit: is Angelicos imbibet aure sonos.

Tumulus
NOBILIS MOECHI.

VUlturis hic tumulo, cui dum data copia vitæ est,
Copia Ei Veneris facta nefanda fuit.
Vxorem quandoq; suam complexus amicè est,
Et quandoq; alias, forsan amicitiùs.

Idcirco hîc Cypris ſedet, ingeminatq́ querelam:
Hei quò abiit Miles ſtrenuus ille meus?
Strenuus: Vxorem didicit quia cautus amare,
Et ſimul in vetitos ire redire toros.

Tumulus
PAVLLI GEBHARDI,
Conſulis Habeſuerdii.

HAc Paulli exſuviæ cõduntur in Æde Gebhardi,
Qui Patriæ fuerat Lux Columenq́ ſuæ.
Conſul enim prudens templumq́, Scholamq́, forumq́
Conſilio juvit, munificaq́ manu.
Vir bonus; inde bonis cariſſimus omnibus, inde
Carus, cui ſumma eſt laus placuiſſe, Deo.
Habeſuerda pares optat, lugetq́ ſepultum:
Hinc tumulus crebris fletibus iſte madet.
Sat vixit, Patriæ qui vixit, vixit Amicis,
Inprimisq́ Deo: vivet is ante Deum.

Tumulus
MAGDALENÆ SMIDIÆ, A Mplifs. V. SEBASTIANI HOFMANNI in Henerſdorff, Conſulis Gorlicenſis ſuaviſſimæ Conjugis.

HInc oculos averte Hoſpes, miſeratio tangit
Si te virtutis nulla; recede procul.

Namq́

Namq; triumphavit cujus sub pectore virtus,
Matronalis bonos normaq; sancta chori:
In quâ constanti Dominâ se ipsissima virtus
Reginam agnovit vix bene, vixq; satis:
Hac super incedis gressu meliore beatus:
Quænam Ea? quæ didicit nil, nisi amare Deum,
Hac illa Hofmannum coluit pietate Sebastum,
Mortalem tanquam Semideumq; Patrem.
Elegit partem meliorem, illamq; Marito
Morte resignavit Magdalis alma suâ.
Præcursorem habuit Natũ ad nova regna Ioañem:
Pignora chara patri bina reliquit humi.
Vivit, ovat, gemitumq; simul ciet alta profundum:
Miraris? Gemitus, quem ciet, Aura Dei est.
Hac vocat & sobolẽ, & Patrem, pariterq; Maritũ:
Vult tamen hos Patriæ debita ferre priùs.
Florem optat Soboli, Patri usum, Spemq; propagem
Quâ genus exaucto nomine req; Viro.
Iamq; bona ô bona Virtutis Domina æthera complet
Virtute, ingenio, nomine, laude suâ.
Hospes abi melior, gressu meliore beatus:
Hæc Domina in Domino vivit ovatq; suo.

Tumulus
DOROTHEÆ VXORIS ALBERTI CAPONIS, Optimatis Boëmi, Cæs. Consiliarii.

si qua

SI qua est Dorothea, *an debetur inanib⁹ umbris?*
Aufert jure Deus, quod dedit ipse Deus.
Ergo Deo est proprium, quod is aufert jure; quid umbris
Conditur hæc igitur Fœmina, sacra Deo?
Gaudet luce Deus, non umbris; gaudet eâdem,
Quisquis ab ipsius nomine nomen habet.
Non est umbra tamen semper, quod conditur umbrâ,
Umbra nec est, sed lux, Dos ubicunq; Dei.
Audin', & indulges tamen usq;, Alberte, *doloris?*
Crede mihi, conjux non tua lucis eget.
Hic tumulus Gremii typus est, quo sancta quiescit
Nunc Anima in mediâ luce, Deiq; Domo.
Hoc est, esse Dei Donum, nomenq; tueri,
In mediisq; umbris perpete luce frui.
Quid luges Alberte? *tibi quod contulit aufert,*
Quodq; aufert, reddet, quando sequere, Deus.

Tumulus
LVDOMILLÆ PFORTNERIÆ.
Matronæ honestissimæ, Agnatæ suæ.

LVx Matronalis, Decus, exemplumq; Coronæ
Hoc Ludomilla *loco* Pfortneriana *jacet.*
Consulibus nata est, & nupta deinde duobus,
Ob dotes animi principe digna viro.

Tumu-

Tumulus

HEDVVIGIS VXORIS DANIElis Scepſii Medici & Poëtæ excellentiſs.

Scepſius HEDWIGIN *me nuper habebat: at illi*
Ereptam hoc Parcæ depoſuere Solo.
Omnia Matronæ bene convenientia ſcivi;
Vnum non didici: nolle placere viro.

Tumulus

ANNÆ COITÆ, VVENCESLAI Placelii ab Elbinga Vxoris lectiſsimæ.

Hic jacet Anna Soror Virtutis, Filia Chriſti,
Aſſecla Divarum, cœlituumq; comes.
Vxor erat nuper caſta, integra, cara Placelî,
Nunc eſt aſtrifero Sponſa recepta toro.
Hìc tantùm cineres: gaudet Mens æthere, quòd ſit
Aſſecla facta, Soror, filia, Sponſa, comes.

IN AFFECTVM CONIVGALEM de Ejuſdem Obitu.

Adſtitit ad lectum lacrimante Placelius ore
Conjugis extremo Mortis in articulo.
Tunc adeo indoluit, penè eructaſſet ut undà
Singultantem animam. tantus amoris amor!

Tanta

Tanta duos thalami Consortes inter amantes
Vis Zelo fidei connubialis inest!

Tumulus
MATRIS ET DVORVM
Filiolorum.

PArce pium scelerare locum, vestigia torques
Huc quicunq́: sita est hîc peramica TRIAS.
Quos pia GODFRIDUM *et* THEODORUM *corde sub uno*
Filiolos Mater gesserat Anna duos:
Hos uno tumulo capit amplexuq́, PHILIPPI
Quæ MARII *cara est Vxor adempta toro.*
Vt tribus una caro fuit, alvus & una duobus,
Vnus ut est tumulus, sic tribus una fides:
Vna salus, unum cœlum, Patria una: quid ultra?
O tali felix conditione TRIAS!

Tumulus cruentus
ILLVSTRIS FOEMINÆ
à Filio suo cultro
confossæ.

PErfundes aut imbre genas, aut ora stupore
Pallebunt, saxum sis nisi, quisquis ades.
Hic jacet infelix Mater, cui lumen ademtum est
Dextra Ejus, lumen cui prius illa dedit.
Natura horrescit, Sol pallet, Styx tremit, ipse
Miratur facinus tam furiale Sathan.

Tumulus

Tumulus

SAMVELIS, VALENTINI
Dresleri, Illustris, Borussorum Ducis
in Ducatu Silesiæ Carnovienſi
Cancellarii Filioli.

INfans hîc jaceo SAMUEL *nondum integer anni,*
DRESLERO *natus, Spes bona cujus eram.*
Spes hîc frustrata est, sed eum non fallet olympo:
Cur? quia nil certum est hîc, nisi Mortis iter.

Tumulus

ROSINÆ IOSEPHI CLITTO-
nis Notarii Provincialis Ligni-
censis Filiolæ.

SPinosis Rosa viva fui circumdata dumis;
Mortua cœlesti floreo tuta Solo.
Nil habet humani, qui vitam hanc esse perennem
Credit: Vita rosa est hæc, breviorq; Rosa.

Tumulus

IOANNIS, EIVSDEM CLIT-
tonis Filioli.

PAtris Iösephi Ioannes Filius agro
Hoc vireo tenero corpore prima Seges.
Fatum accusarem, ni gnarus temporis essem:
Non malè, qui vitam tam citò claudit, obit.

Tumulus

Tumulus

ELISABETHÆ, IOANNIS
Maij Filiolæ, in piscinâ
submersæ.

Hoc, ego, quæ tumulo jaceo Elisabetha, sub undis
Occubui casu flebiliore pedum.
Triste genus Mortis! sed quod nondũ altera Messis
Visa mihi fuerat, nescia labis eram.
Hinc mihi nil metuo, sed gaudeo: me citò mundi
Emersisse malis innumerabilibus.
IOANNES genuit me Christi Buccina MAIUS:
Sum, reor, hac unâ parte beata satis:

Tumulus

THEODORI, PHILIPPI
Marii Filioli.

Ante duos annos mediumq; gerebar in alvo
Annæ Matris, in hoc qui modò claudor agro.
MARIUS Aonidum genuit me Cultor, & altor:
Mors citiùs rapuit: cur? Theodorus eram.

Tumulus Adolescentuli

DAVIDIS ROLLII, MARCI
Ecclesiastæ Lignicensis Filii,
è græco factus.

Hic Rulli exstincti sunt ossa sepulta DAVIDIS,
Aonidum qui spes optima vivus erat.

Vermi-

Vermiculis nunc esca quidem est resolubile corpus:
Ast animam, qui dat cuncta, habet ipse Deus.

ALIVS EIVSDEM.

ECce bonum tegit ista Boni Patris Vrna Puellum,
Aucta est Discipulo quo Schola Cœlicolum.
Vis nomen Lector? Rullo est id dulce, Davidi,
Indole qui magnus, corpore parvus erat.
Quartus ei abstulerat vitam decimusq; virentem
Annus, at ingentem Spem Baculumq; Patri.
Illius est fati lex immutabilis, hujus
Ingenii lumen caussa: sed utra bona est?
Vtraq; nam fatum cœleste, quod omnia versat,
Ingenium cœlo reddidit, unde datum.

TVMVLVS NICODEMI NIGRINI, GEORgii Typographi Pragensis Filioli.

NIGRINVM tegit hæcce NICODEMVM
Tellus me Puerum: Pater dolori
Indulget nimio: dicarat omnes
Fortunas quoniam mihi vel uni
Suo delicio, Speiq; summæ.
Sed tanto fruor hîc quietiori
Somno, Cœlicolum futurus hospes,
Quantò divitiis vel una cunctis
Terræ pars melior Beatitatum est,

Queis plausu resonans abundat æther.
Harum participem meum Parentem
Malo, ac delitiis vacare mundi.

Tumulus
FRATRIS ET SORORCVLÆ, Christophori Kretschmer Cæs. Secretarii Sobolis.

VNa duo hæc, Hospes, corpuscula continet Vrna,
Alvus enim genitis una duobus erat.
Christophori hîc Soboles Kretschmeri conditur, ævi
Flos tener avulsus, Mors fera, falce tuâ.
Masculus & Fœmella, tori duo pignora casti:
Carolus ore decens, pulcra Sabina genis.
Illi vix ætas octava; sed altera vix huic
Visa fuit, nec dum vix bene visa fuit.
Audin' ut umbrosis vox Manibus excidat alta
(Namq; aliquid Manes post quoq; fata manent)
Si quid dulce fuit nobis, laudabile si quid,
Dum sinerent vitæ munere fata frui;
Hoc fuit, à tali Sobolem nos Patre creatam,
Qui pars Cæsarii non reticenda fori est.
Gloria sed restat nobis præstantior uno
In thalamo genitis, in tumulo positis.

Tumulus
IOANNIS ABRAHAMI, ERASMI QUINTI Cæs. Secretarii Filioli.

Hac Infans, QUINTO qui primùm natus ERASMO,
IOANNES ABRAM contumulatus humo est.
Ante diem fatis, furioso cessit & orbi:
Sed fatis nunquam ceditur ante diem.

Tumulus
CAROLI, PETRI KECKII,
S. Cæs. Maiest. à Rebus Monetariis Filioli, pro quo Author ad fontem sacrum fidejusserat.

CAROLUS hìc Infans Kekio prognatus & Annæ,
Nicoleiq; Nepos Reichelii situs est.
Qui prostrarat humi multos, Epidimius illum
Maternis morbus traxit ab uberibus.
O mortale genus! nec ab impete primula Mortis
Tuta ætas, morbis tuta nec à vetulis!
O sed felicem te Carole! nasceris, & mox
Concidis, ut vivas, & patiare nihil.

Tumulus
MARGARETHÆ FILIOLÆ
Eliæ Smidgrabneri, S. Cæs. Majestati à Rationum Tabulis.

QUæ Smidgrabneri vivens ego nuper Eliæ
Filia eram, nunc sum mortua Nata Dei.
Mortua quid? cessi Naturæ: haud subdita morti
Margaris æternâ nunc ego luce fruor.

Tumulus

SALOMONIS FRENCELII
Fratris sui antegeniti.

Pignus Conjugii primum, & Spes prima paterni
Frencelio Salomon Patre satus situs hîc.
Infantem necuit Mors nescia parcere parvis:
Nec mirum, soleat cum cohibere viros.

Tumulus

ANNÆ SORORCVLÆ SVÆ.

Annula Frencelio prognata Parente Puella
Hîc jacet ante annos ingeniosa nimis.
Delitias quot ferre potest, quot gaudia Patri
Proles multa, Patri tot tulit una suo:
Mortua tot lacrimas; nullas sibi, gaudia mille:
Ah pueros quot Mors præripit una malis!

Tumulus

PHILIPPI FRENCELII
Fratris sui.

Viderat ut paucos vitali lumine Soles (mo:
Hac moriens posuit membra PHILIPPUS hu-
Illi FRENCELIUS *Genitor,* MOIBANAQ. *Mater:*
Sed rediit Superis carior ad Superos.

Tumulus

Tumulus
ESTHRÆ, FILIOLÆ M. GEORGII ISINGII, Eccles. Oppavien:

Hic jacet Esthra *Infans peccati ignara*, Georgo
Parente nata Isingio.
Vixisset? Patrem fortasse secuta fuisset:
Nunc illam sequetur Pater.
Illa anceps poterat fieri via fortè sequendo:
Hæc omnium tutissima.

Tumulus
VVENCESLAI, MICHAELIS LEPORINI, Eccles. Oppavien. Filioli.

Qui transis, huic parce loco: quia criminis expers
Infans hac jaceo Vvenzeslaus *humo.*
Me genuit Michaël Leporinus, *Præco salutis,*
Cujus amor, cujus gaudia, spesq; fui.
Si Mors non parcit bimis Infantibus, ætas
Quæ tuta? en hodie stas homo, crasq; jaces.
Ergo viator abi, vitamq;, viamq; beatam
Ingredere: una Via est Vitaq;, NOSSE DEVM.

Tumulus
IACOBI GITSCHINII, PAVLI Civis Nissani Filioli.

Cespis ut iste viret, jucundum & spirat odorem!
Conspersum innocuo sanguine nempe Solū est.
Paulli Gitschinii *Sanguis : dulcissima Proles,*
Hac Iācobus humo conditur ante diem.
O felix cespes, qui non violabile cælo
Semen alit! dulcis flos, & amœnus odor!

Tumulus

MICHAELIS RICHARDI,

M. MICHAELIS, Professoris Vviteberg. CL. filioli primogeniti.

Richardi sum prima seges Michaëlis, *amœno*
Orta quidem, at tristi nunc tumulata Solo.
Putredo Natam, Morientem vita sequuta est:
Nunc Paradisiaco pura renascor agro.
A magno Michaële *Sator me nomen habere*
Iussit: ita Angelici Pars ego fio chori.

Tumulus

GEORGII HENRICI, GEORGII POLANI à Polansdorff, Musici Oppavien. Filioli.

Quo nec amabilius quicquā, nec amœnius, vnā
Conditur hac lacrimis Flosculus innumeris.
Illi nomen idem, quod adhuc est dulce Satori,
Delitium cujus maxima Spesq́ fuit.
Triste! Polanus *eum vernante* Georgius *horto*
Severat: irrepsit Mors, secuitq́ comam.

Concidit

Concidit ante diem (Naturæ hic lusus & usus)
Efflorere etenim ceperat ante diem.
Indolis ætatem præcessit acumine trimam:
Nam Puer ille quidem, Sermo senilis erat.
Ergo nihil superest? superest pars optima radix:
Illa ex hac supra sidera surget humo.
Et tunc fructus erit, nunc luctus: disce Viator,
Quàm leve Vita Bonũ, quàm grave Vita Malum!

ALIVS EIVSDEM.

GEorgio Polano natus conditur
Georgûs hîc Henriculus.
Cursu sagacis anteceßit Ingeni
Ætatis annos trimulæ.
Hinc antevertit Mors præceps Puellulum
Parentibusq; sustulit.
Quid sustulit? quin auferendo prætulit:
Sic mixtus est Homo Diis.

DAVIDI PEIFERO, IC.
Elect. Sax. Cancellario, Viro amplissimo:
DE OBITV VXORIS.

SVave nihil penitus: sic suavis Epistola nupsit,
Sed non ex omni mi tua parte fuit.
Namq; bonâ orbatum docuit te Conjuge, fatum
Quâ dare nil potuit carius, & rapere.
Communis, sed acerba tamen, de Morte Querela:
Optima enim Pars est Corde revulsa tuo.

Quid facias Peifere? *Deo parêre jubemur:*
Ius habet in vitam, Ius habet inq; necem.
Deprimit, extollit; necat, in vitamq; reducit,
Nil agit, extremo quod nisi fine Bonum est.
Quod dedit, accepit, reddetq; quod abstulit idem:
Hæc te soletur Spes ope fulta precum.
Qui dulci vitæ Sociâ te orbavit, Is illam
Adjunget lateri rursus, Amice, tuo.
Et Sorte in meliore quidem tibi junget, & Ævo:
Casum illa, hoc finem nesciet orbe novo.
O indigna nimis præsens hæc Vita sequenti!
Nam quodcunq; piis hæc negat, illa dabit.

Tumulus
DAVIDIS CHYTRÆI, DAVIDIS Theologi CL. Filioli.

FLos ego, Davidis soboles optata Chytræi
Hoc lateo Mortis falce resectus agro.
O Mors te pudeat! ludit te parvulus Infans:
Tu vis putrescam: sed mihi Germen inest.
Illud succus alit, sic me quoq;, Sanguis Iësu:
Huic vireo, huic cresco, Flosculus hujus ego.

Tumulus
CHRISTIANI MONAVII, IACOBI Filioli.

HIc Christianus Iacobi Monavius
Proles tenella dormio.

Mundi

Mundi theatrum immundi vix tetigi: citò
Ingressus, egressus citò.
Dicamne, veni, vidi, vici ego Puer?
Quidni? triumpho in Æthere.

Tumulus

IOANNIS HOFMANNI SEBASTIANI in Henersdorff, Viri in inclitâ Republ. Gorlicensi Consularis, Filioli unici.

Vivere me nuper rebar cepisse; sed ecce
Mors me ipso in vitæ limine surripuit.
Surreptum Patri pòst reddidit illa Sebasto Hofmano, *hei tantùm non miserũ exanimans.*
Ille hac, inclamans: ô Spes mea Mascula Iane
Sicne repente cadis? me tumulavit humo.
Vivere non ergò tùm cepi: vivere cepi
Nunc demum: ô quantum est vivere posse Deo!

Tumulus

SALOMONIS FRENCELII à Fridenthal, Poëtæ L. Cæsarii, quem ille sibi vivo, fragilitatis humanæ memor, in Camino molestissimæ Febris & jam penè biennis, viribus omnibus attenuatis, non tamen sine Spe auxilii divini, condidit.

Esse Poëtarum quem Pallas amica coëgit
Partem aliquam, partis dimidiumq; aliquid:

Cujus obire manu, lectosq; probare libellos
Dignatus Cæsar maximus Ipse fuit:
Principibus quem Musa Viris devinxit amore,
Quem risere Mali, quem coluere Boni:
Quem variè ambiguo lusit Rhamnusia vultu,
Plurima policitans, plurima sæpe negans:
Sed qui postbabitis didici Mortalibus uni
Fidere, nempe Deo vivere, nempe mori:
Vsuram dubii cui Febris rescidit ævi
In non exclusos hei diuturna dies:
Hac jaceo Salomõ Frencelius *Vmbra sub Vmbrâ*
Non obii in Patriâ; verùm abii in Patriam.

ÆTATIS HVMANÆ Curriculum.

Ascendo, ut rursus descendam: adolesco, senescam:
Floreo, ut arescam: vivo, brevi ut moriar.
Sed rursum ut vivam, morior: mirabilis ordo!
Vita mihi Mors est; Mors mihi Vita nova est.

INSCRIPTIO COEMITERII.

VNde superbimus, cum limus simus, & Vmbra,
Cum nunquam immunes Mortis ab Insidiis?
Si nos terra sumus, si fumus terra, nihilq;
Si fumus; quid nos? nil, nihiloq; minus.

FINIS SEMITÆ QVARTÆ FVNEREÆ.

INDEX

INDEX PERSONARVM.

A.

Adamus, Daniel. 141
Argentoratum. 142
Aquila Geor. 212
Augustus Elector. 276
Anhaldin⁹ Princeps Ernestus. 277

B.

Bassevitius. 53
Brunsuicensis Dux Henr. Iulius. 82.83.84.85.
Boëmiæ Insignia. 86
Blotius. 87
Burckhusius. 162
Berchtoldus. 178
Becke. 196
A Berg. 217
Beckerus. 240
Brigen. Dux Georg. 278
Braunius. 112.118.

C.

Corvinus. 46
Chytræus. 49
Cunzius. 51
Curtius. 52.90.98. 104.105.124.158.177. 181.286.
Cocorsius. 105.106. 118.156.182.185.191. 193.200.
Chimarrhæus. 117
Chinski. 122
Calagius. 137
Cunerus. 157
Capella. 158.246
Crusius. 164
Caasa. 177
Carolus V. Imp. 273
Curzbachia. 282
Camerarius. 306
Codicillus 306
Clitto. 309
Capo. 315
Chytræus David. 323

D.

Duza. 163
Dersanovius. 214
Daniæ Rex Frider. 274
Dreslerus. 319

E.

Episcopus Vratisl. Andreas. 88.89
Eckerus. 128.
Ehrnreiter. 208
Eccardus. 208
Ebeleben. 209
Erffa. 267
Elisabeth Austriaca Gall. Regina. 275

Erastus. 303

F.

Frencelii eiusdemq; Vxoris Symbola. 1. 4. 305. 324. 330.
Frolich Casp. 112. 269.
Fremonius. 114. 132. 297.
Firxius. 127
Frobenius. 168
Franckenstenius. 169
Ferdinandus Imp. 273
Fürerus. 310
Flacius Illyricus. 310

G.

Gesnerus. 73
Güntherus Greg. 123
Glogorsius. 148
Gitschinius. 163. 236. 325
Gerlachius. 166. 306
Gryphius. 175
Grisbeccius. 181. 232. 238. 239.
Geizcoflerus. 201. 227. 234.
Guntherus David. 240
Gebhardus. 314

H.

Hornsteinius. 45
Hofman Ferd. 99. 201
Hoym. 111
Hrsainii. 154
Hardeck. 167. 284
Hofman Sebast. 201. 314. 329.
Hertelius. 209
Hagkl. 210
Hellius. 236
Hessus Paullus. 268
Hessus Eob. 301

I.

Isingius. 49. 152. 307. 325.
Iageman. 119. 130
Ionas. 186
Iessinius. 203
Ienchwitus. 260
Iesu Christi tumulus. 272

K.

Kirchbergerus. 55. 142
Kinnerus. 56. 146. 173. 306.
Kislingius. 58
Kerle. 121
Kniphausen. 135. 154
Kempelius. 165
Kretschmer. 322
Keckius. 323

L.

Lichtenstein. Septimius. fol. 103. 159. 281

Lindne-

Lindnerus. 107. 108. 145.
Lichtenstein Carolus. 136. 159.
Lipsius 144.
Laugingerus. 146.
Langæus. 168.
Lupus Belua. 170.
Lerchenfelderus. 184.
Lundorpius. 139.
Lucretia modesta 241.
Ludovicus Elect. 276.
Lotichius. 362.
Leporinus. 325.

M.

Mylius. 59. 60.
Maximil. 82.
Mülnerus. 102.
Munckius. 157.
Magnus. 127. 128.
Meckerus. 143.
Mehlius. 145.
Meibomius. 149. 179.
Mencelius. 155.
Martini. 170.
Monavius. 183. 305. 329.
Minckwizius. 188. 237.
Menschikius. 189.
Müllerus Erasmus. 210.
Meckbachius. 211.
Maximil, Imp. 273.
Minckwizius Casp. 279.
Moibanus. 303.
Majus. 320.

N.

Nucis. Abbas. 43. 172.
Newhaus. 129.
Neusteterus. 137.
Novomiestius. 235.
Norinbergius. 296.
Neugebauer. 311.
Nigrinus. 221.

O.

Opperdorfius Georg. 46.
Oppersdorfius Guil. 74. 78. 68. 92. 101. 103. 108. 121. 125. 134. 166. 167. 255. 256. 257. 258. 283.
Oethæus. 304.

P.

Polanus Hen. 58. 168.
Praga. 86.
Pirckheimer. 116.
Posthius. 120. 163.
Placelius. 124. 158. 243. 317.
Philip. de Mont. 139.
Portius. 170.
Polanus Geor. 176. 260. 326.
Promnitius. 229. 231.

Papius

Papius. 237
Prætorius. 262. 309
Pucherus. 296
Purgstaler 292
Pforrneria. 316
Peiferus 327

Q.

Quintus. 322

R.

Rodulphus Cæsar. 38. 40. 41. 42. 73. 74. 76. 88. 110
Reicheli⁹. 57. 132 136. 323
Rucardus. 61. 150. 152. 178.
Rosenbergius. 91. 96. 97
Ranzovius. 94. 215. 112
Rompff. 95
Ruta. 111
Reusnerus. 134. 169
Rhedingerus. 164. 295
Raphanus. 168. 187. 192. 196.
Reinhardus. 171
Reichardus. 173. 207. 238 249. 326.
Rechenbergius. 118
Rhenanus. 194
Rhederus Geor. 212
Ruberus. 279
Ribischius. 280
Rollius. 120

S.

Schleinizius Christophor. 50. 118. 126. 169. 285
Stolshagius. 55
Scheliha. 74. 299. 285
Schaffgotsch. 120. 213
Scharbergius 123. 185
Starckius. 133
Stephanus Henr. 138
Sturmius. 153. 173. 189.
Scholzius. 161. 100
Schifordecker. 212
Schillingius Mart. 213
Stromeier. 233
Smidius. 241
Sednizki. 248
Sualbius. 266
Sabinus. 362
Sambucus. 162
Stephanus Batoræus. 277
Senizius. 294
Stigelius. 301
Siberus. 306
Scepsius. 317
Schoresius. 309
Schmidgrabnerus. 323

T.

Trellæus. 54
Trautson. 186. 229. 278

Tzrela. 130
Tilesius. 139
Tschernin 140
Thill. 239
Tonnerus. 239
Trozedorfius. 301

V.

Virlingus. 64
Velsius. 100. 109. 131. 181
Vincentius. 307

VV.

VVirben. 102
VVinshemius. 117
VVerdensteinius. 122. 140. 155. 187
VVenzelick. 158
VVambold. 208.
Varmbüchius. 211
VVirtenbergicus Dux Ludovicus. 226
VVolfius Hier. 303
VVesenbeccius 304
VVincklerus. 307
VVerischius. 318

Z.

Zanottus. 147. 300
Zedliz. VVences. 217
Zuingerus. 305

Æquo Lectori S.

DVo abs te studiosè diligenterq; petit Frencelius, quisquis pagellas hasce ipsius aliquâ lectione dignatus fueris, ut ante Lectionem tum sequentia Menda, tum alia à nobis non animadversa candido Stylo animoq; emendes. Deinde, ne priùs in lusus hos campestres & convivales penè omnes Iudicium liberius tibi sumas, quàm Epistolam Libelli Nuncupatoriam pellegisse te non piguerit. Quòd si opellam Poetæ æqui bonique consules, facile illum non tam ad plura huiusmodi bellaria, quàm ad ipsa Convivia invitabis: actum fortasse, Mantissam vicisse obsonium, Pronunciabis. Bene vale, & bene iudica.

SPHAL-

SPHALMATA CALCOgraphica.

V. notat Versum. P. paginam.

LEGATVR,

Pro:

Totam, totum	*v. 5. p. 7*
Restringuit, Restinguit	*v. 3. p. 12.*
Insignos, insignes.	*ve. 7. p. 16.*
Tednit, tendit.	*v. 2. p. 25.*
Exilium, Exitium.	*v. 1. p. 28.*
Agit, agat.	*v. 3. p. 95.*
Brna, Bruma.	*v. 3. p. 11.*
In, &.	*v. 10. p. 120.*
Et, in	*v. 11. p. 120.*
Ingenis, ingenuis.	*v. 2. p. 143.*
Didcit, didicit.	*v. 1. p. 154.*
Dii. ô.	*v. 5. p. 258.*
Tibi, ego.	*v. 4. p. 159.*
Declamus, declamas.	*v. 7. p. 161.*
Symmyctæ, Symmystæ.	*v. 1. pag. 170.*
Laudat, ludat.	*v. 8. p. 227.*
Spatiens, Sis patiens.	*v. 19. p. 234.*
Nec, ne.	*v. 5. p. 272.*
Quod, quot. v. 14. p. 307. Senum Senem. Ibid.	

FINIS SYLVVLÆ PRIMÆ Epigrammatum.